BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 D
22



SS THECLA FLAVIA DOMITILLA CÆCILIA BARBARA
AGATHA EVGENIA MARGARITA DOROTHEA
AGNES LVCIA CATHARINA VRSVLA

14-86-D.12

14.26.D.22

PAVLI AEMILII SANCTORII CASERTANI

XII.

VIRGINES, ET MARTYRES.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ,
Ex Typographia Gulielmi Facciotti.
CIↃ IↃ XCVII.

EGo Hieronymus Florauantius ex Societate Ieſu, Iuſſu Reuerendiſſimi Magiſtri Sacri Palatij perlegi has Sanctarum Virginum Vitas ab admodum Illuſtri D. Paulo Aemilio Sanctorio ſcriptas, & nihil in his reperi contrarium fidei, aut bonis moribus; immo & laude, & luce dignas exiſtimo.

Imprimatur.

Fr. P. Ioannes Saragoza pro Magiſter Sacri Palatij.

Imprimatur.

Fr. Ioannes Baptiſta Lancius Sacri Palatij Magiſter.

Ex Libris.
D. FRANCISCI
SPADONI
De Foſdenouo.

SANCTISSIMO
AC
BEATISSIMO PATRI
ET
DOMINO NOSTRO
CLEMENTI VIII
PONTIFICI MAXIMO.

Paulus Aemilius Sanctorius Felicitatem.

TVA me, Beatiſsime Pater, maieſtas, atque benignitas diu ancipitem tenuere, utrum Tibi ueluti uiuenti Petro ad Eccleſiae clauũ ſedenti has a me Virginum uitas exercitationis cauſſa conſcriptas

ptas

ptas dicarem; fluctuabam namque (ut ita dicam) animo, & quam mihi benignitas Tua iniiecerat uoluntatem, adimebat maieſtas. uerebar quippe ne te, qui omniū Eccleſiarū onus ſuſtines, hac lectione grauarem, ſed uicit uniuerſo Chriſtiano orbi proſpecta benignitas Tua, uicit morum ſuauitas, qua omnium ad Te animos allicis, uel ſumma preſſum negotiorum mole, uicere tandem Tua maxima in Iulium Antonium Cardinalē Patruum meum merita, quem Maioris Pœnitentiarii munere ornatum eſſe uoluiſti. Nam ſicut ma

gni

gni Principis eſt mortalibus beneficia conferre, ita boni, ac memoris uiri eſt accepta in ore omnium praedicare. Quae omnia ſuo quaſi iure imperarunt mihi, ut quicquid a me eſſet, quamuis exile, & tenue, darem, dicarem, addicerem Tibi ueteri formula, noua uoluntate. Neque uero magnopere mihi uerendum eſt ne Te, in quo & ſenum prudentiam, & iuuenum patientiam admiramur, Apoſtolicis muneribus meum hoc ſubtrahat officium; quandoquidem & Sol ipſe luminum pater ſuum benigne lumen ſyderibus impertit, nec tamen

men ſuum remoratur curſum, aut propriae lucis patitur detrimenta. Tibi igitur, Pater Beatiſsime, hunc duodecim Virginum libellum dico, in quibus idē Chriſtus Dominus tanquam in duodecim ſignis ſpirātis Zodiaci, & Eccleſiae Catholicae caelum, ceteris longe auguſtius, & ſanctius exornantis non eodem modo agit, & ſplendet. Quem ſi ſapientia, iudiciumque Tuum non improbauerit, facile ſperare potero, ſanctis etiam Virginibus, ad quarum gloriam conſcriptus eſt, ipſique Chriſto Regi Virginum, cuius Tu uices in terris

ris geris, non ingratum fore hoc meae humilitatis obſequium. Te uero munuſculũ hoc meũ, quamuis nulla ex parte tantae par maieſtati nõ aſpernaturum eximia illa, quae tibi merito nomen dedit, clementia pollicetur. Deus Te Optimus Maximus diutiſsime ſeruet incolumem. Romae XIV. Kal. Septembris, Anno CIↃ.IↃ.XCVII.

CATALOGVS SCRIPTORVM EX QVIBVS DESVMPTAE HARVM SS. VIRGINVM VITAE FVERE.

S. THECLA.

Tertullianus.
S. Cyprianus.
S. Ambroſius.
S. Hieronymus.
S. Auguſtinus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Maximus Taurinenſis.
S. Epiphanius.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Ioannes Damaſcenus.
Baſilius Seleucenſis.
Theodoretus.
Euagrius.
Metaphraſtes.
Beda.
Aldelmus.
Nicephorus.
Vſuardus.
Ado, & alij.

S. FLAVIA.

G*Eſta Sanctorum*

Nerei, & Archillei.
Euſebius Caſarienſis.
S. Hieronymus.
Latina manu ſcripta.
Beda.
Nicephorus.
Vſuardus.
Ado.
Hiſtoria Tarracinenſis, & alij.

S. CAECILIA.

CODEX manuſcriptus ipſius Eccleſiae.
Vita Paſchalis Papae I. & illius litterae Apoſtolicae.
Sigebertus.
Metaphraſtes.
Vſuardus.
Molanus.
Lipomanus.
Surius, & alij.

S. BARBARA.

GRaeci in Menologio.
Acta Ioannis Damaſceni, ſeu Arſenij.
Codex Graecus manu ſcriptus.
Codex manu ſcriptus ad S. Mariae ad Martyres.
Metaphraſtes.
Vſuardus.
Ado.
Surius.
Mombritius.
Theodorus, & alij.

S. AGATHA.

S. Damaſus Papa.
S. Adelmus.
Venantius Fortunatus.
Metaphraſtes.
Beda.
Hymni in Breuiario To-

Toletano.
Codex manu ſcriptus.
Paßionaria.
Lipomanus.
Surius, & alij.

S. EVGENIA.

Alcimus Auitus.
S. Aldelmus.
Graeci in Menologio.
Fortunatus.
Metaphraſtes.
Lipomanus.
Surius, & alij.

S. MARGARITA.

Romanum Martyrologium.
Manuſcripta S. Mariae ad Martyres, & S. Caeciliae.
Beda.
Metaphraſtes.
Vſuardus.
Lipomanus.
Mombritius.
Hieronymus Vida, & alij.

S. DOROTHEA.

Adelmus.
Beda.
Vſuardus.
Ado.
Mombritius.
Hymnus in Breuiario Toletano.
Surius.
Thomas de Chempis, & alij.

S. AGNES.

S. Ambroſius.
S. Hieronymus.
S. Auguſtinus.
S. Damaſus Papa.
S. Maximus Taurinenſis.
Prudentius.
Beda.

Theo-

Theodorus Lector.
Nicephorus.
Vſuardus.
Ado.
Durandus, & alij.

S. LVCIA.

S. Adelmus.
Manu ſcripta.
Sigebertus.
Surius.
Mombritius, & alij.

S. CATHARINA.

MEnologium Graecum.
Graecus Codox.
Metaphraſtes.
Beda.
Euthimius.
Ado.
Molanus.
Chriſtianus Adrichomius.
Latina manu ſcripta.
Surius.
Lipomanus, & alij.

S. VRSVLA.

BEda.
Sigebertus.
Vuandelbertus.
Rogerius Ciſtercienſis.
Ricardus Praemōſtratenſis.
Gaufridus Epiſcopus Aſaphenſis.
Bōſinius de rebus Hungaricis.
Claudius Rota.
Mombritius.
Surius.
Manu ſcripta latina.
Hiſtoria Colonienſis, & alij.

S. THECLA
I.

THECLA, in muliebri ſexu Martyrum Princeps, ſummiſq. laudibus ab antiquiſſimis, ſanctiſſimiſq. Patribus celebrata, merito prima fulgebit in opere, eductura in aciem aduerſus inferos, tyrannoſque, reliquas Virgines, haud mollis imperatrix. Iconij in Lycaonia editur in lucem, non humili inter Iconienſes genere, obruto patris nomine: Tocchia mater dumtaxat apud ſcriptores memoratur. Iam nubilis, duodeuiginti annos nata, a matre (exceſſerat ex humanis iam genitor) Thamyridi, inter ciues clariſſimo, pulcherrimoq. iuueni in uxorem traditur: ſed, dum nuptiale ſacrum apparatur, dum genialis ſternitur torus, dum mimi accerſuntur, reliquaq. Aſiaticae inſtrumenta luxuriae, alius praeclarior quaeſitus uirgini ſponſus, nobiliorq. inhaeſit pectori ignis. Enimuero Paulus Apoſtolus, poſt Arabum ſpolia, & Nabathaeos triumphos, multarumq. praeterea deuictarum nationum trophaea, cum in Lycaoniam Iconium, auſpicante Claudio V. Imperij annum, in conſulatu M. Vinucij Quartini ſecundo, Marciq. Statilij Coruini deueniſſet, diuertiſſetq. in aedes Oneſiphori, praeſtantis pietate, ac nobilitate uiri, per alios iam Apoſtolos Chriſti ſignis, militiaeq. mancipati, late egregia ſua illa facundia euulgare Chriſtianae religionis arcana, multa de uirginitate attexere, eiuſq. laudes caelo tenus efferre: natum memorans

ex Virgine Chriſtum, Virginum gaudere connubio, in quo fugatis illecebris, haud commixtis corporibus, laetiſſima ſoboles, & in aeternum propagata floreſceret, miro cum incremento uirtutum, gloriaeque. Quae cum crebro concionaretur Apoſtolus, fieretq. ad eum non mediocris hominum, feminarumq. concurſus, haud Theclae in gynaeceo celabatur, dum a limine nemo arcetur, & quotidie gratulaturae ad ſponſam mulieres uicinae, affines, notaeq. commeant. Fit de Paulo mentio. ad eius nomen, nouamq. doctrinam illa Theclae mollities dureſcere; &, quodam ipſa modo amarior facta, haud laetanter in chorearum ludicro iactare corpus, indulgereq. muſicae inter amatoria dicta, conuiuiorumq. apparatus. alma mox ducēte aura, ad quandam gynaecei feneſtram, aegra curis, incubuit: ubi dum ſibimet diſplicet, triſtatur, & cubito faciem fulcit. allabitur auribus Pauli uox, de uirginitatis celſitudine differentis. ea quippe feneſtra ſecretiora aedium Oneſiphori reſpectabat. ſublata ceruice, attente audire, interq. audiendum tepeſcere, triſtarique, damnatis nuptijs, & incerta, uehementiq. raptari cupidine, atque incendi caſtitatis amore; ſibimet ipſi indignata, quod, tantae ſpreta dignitatis praerogatiua, in obſcena deieciſſet animum, paſſura amplexus, alteriusq. imperium. Acer eam uidendi Pauli, alloquendique, & communicandi conſilia, tuendaeq. caſtitatis ardor, & cupido inceſſere: multaq. uoluentem non ſumpto cibo, non data oculis quiete, triduo, ac noctibus totidē, adeuntium haudquaquam turba mulierum a feneſtra retraxit, ſpretis quoque maternis precibus, imperioque, per noctem pulſo tenebris uiſu, Pauli uocem ueluti tubam in pectore terribilius ſtrepentem ſentire, haud feſſis dicentis lateribus. quare offenſa mater Thamyridem generum accerſit: factum exponit: iubet mollire obſtinatam amplexibus mentem, & retorquere priſtinum

ſtinum ad obſequium. inſtruit furentem amantem coniugalibus dictis, ruentemq. ſuſpicione amittendae praecipitat coniugis. tunc iuuenis, ſuſpicione anxius, amantium animis ſemel obrepente ſcrupulo, metuque, nulla quiete fruentibus, libidine ardens, currit ad uirginem: obtremit pectore: tacite pulchritudinem contemplatur: haeret: nec urgere illã audet. Prius mater incaepit caſtigare temeritatem, damnare peruicaciam; impudicae eſſe aſſerens, frequentare feneſtras, & externorum oculis membra exponere: eſſe illi ſponſum: ſi uenus torreret animum, ſi natura cieret ignem, ſi iuuenta incaleſceret, expetitaq. mulieri uoluptas ſollicitaret, raperet amantis oſcula, frueretur amplexibus, mitigaretq. flammam. Deiectis puella in terram oculis, muteſcere, uariisq. os coloribus inficere, ex motibus animi nunc pauentis, gementis ue, nunc ſperantis. Tunc Thamyrides, tremula uoce, cum gemitu, ignem quoque in verba rapiens, Quid tam triſte (inquit) omen inuaſit animum? quis mentem uexat angor? quae ex inopinato curae pectus cõfodiunt? unde tam ſubito turbata ſerenitas? affare, mea Thecla: occulta pande animi uulnera. omnis quippe dolor, ſi celatur, funeſtus; ſi erumpat, mitigatur. porrige dextram, inuiolati pignus amoris: effunde inter oſcula, & complexus arcana: ne indignare mecum ſociare conſilia. matrimonij nomen non uoluptates modo, ſed aerumnas habet communes. ſimul uiuere tecum, laetari, ac mori, iam pridem ſtatutum. dedecet thalamum luctus, & turpis in ſponſa maeror. cur matris uocibus oculos non attollis? cur, mea lux, triſtaris? uerte in me tranquillas faces: me ſaucia: ebibe cruorem: omnemq. in me uim deſtina armorum. nudatum pectus habes. cur cunctaris? uoluntarie perferenti, expetentiq. cruciatus nulla fit iniuria. heu, cariſſima ſponſa, exhilara, quaeſo, uultum, animumq. priſtinos reuoca in luſus, meq. in felicitate tua,

gaudioq. fortuna. ſit primum amoris praemium, non ſpreuiſſe preces. Ruere exinde in amplexus, oppletus lacrymis, & amore inſanus. Ceterum illacrymari puella, reiicere ab ſe amantem, auerſari blanditias, aliamq. ad partem deflectere oculos. Obortae circumſtantibus lacrymae, magnusq. exauditus gemitus cum maerore. funeſta illa, non nuptialis, credi domus. Thamyrides, ira feruidus, uenere, & cupidine aeſtuans, palleſcere, rubere, toruosq. minaciter torquere in Oneſiphori domum oculos, in uirginem mites, & auxilium poſcentes. mox furibundus proripuit ſe ex aedibus ſponſae, ſecum ignes, diras, & funera trahens: Paulo minatur: ſpirat crudelitatem: ipſoq. ſe in dolore exacerbat. Occurrunt feſtinanti in domum Oneſiphori amici, monentes, uti ſaniore uteretur conſilio, daretq. irae languendi ſpatium: multa impetu infauſta, ac ſaeua agi memorantes, quae conſiderata ſubeunte paenitentia incaſſum deplorantur. accuſaret aduerſarium ad tribunal Caeſaris: uteretur iure: ne diffideret iudicis aequitati: neue cauſſam intempeſtiua ira perucrteret. Quibus adductus Thamyrides, omni conuocata familia, ac manu nobilium, ad praetorium acceſſit: de Paulo uehementiſſime queritur; petulantiſſimeq. in hominem inuehitur, quantum dirae, quantum audacia, impudentia, ſuſpicio, amorq. eloquentiae indidere. aderant in Pauli comitatu Demas, & Hermogenes, deteſtandae ambitionis homines, ingenio perfidi, lucro, & fortunis inhiantes, atque ab Apoſtolica doctrina prorſus degeneres. hi, Paulum ab Oneſiphoro ſibi praelatum aegerrime ferentes, funeſta illi ominari, machinarique; Thamyridi ſe iungunt; ſociant iras; & in furorem acerbius impellunt Paulum maledictis, ac iniurijs proſequentes. Illico rapitur ante tribunal Paulus, praegrauante etiam Iudaeorum inuidia. quae illi in Iſauria ad Derben accidiſſe, propter eandem ſuperſtitio-

ſtitionis euulgationē, memorantium. incertae circa concionem uoces, & confuſi ſtrepitus exaudiri. quiſque potens, infimusque, ad mortem Paulum depoſcere. Proconſul, haud temere agendum ratus, interrogatum de doctrina hominem in carcerem coniecit, non mediocriter motus illius grauitate, & fiducia in refellendis Iudaeorum calumniis. At Thecla, nulla iam magiſtri uoce feriente aures, maeſta, ac ſordidata, ſecum lamentari, ardereq. cupidine perdiſcendorum malorum, quibus Paulus uexabatur. Quae ubi cognouit, reuoluta in lacrymas, Pauli nomen flebiliter inuocare; ſimulataq. quiete, cū altus omnes ſopor occupaſſet, collectis unionibus, gemmisque, quibus effulſerant iam caeſaries, brachia, collumque, tacita domo proficiſcitur. labefactato pecunia maternae domus ianitore, ad carceris fores deuenit; aureum cuſtodi ſpeculum offert; ſeq. ad Paulum intromitti, poſtulat. quem undique uinculis constrictum cernens, procidit ad genua; demiſſiſſime rogat, ut ſe Chriſtianis inſtruat praeceptis; enarrat ardorem animi, & moriundi noua pro religione cupidinem. Paulus, laudato conſilio, grauiſſime, & ut Paulo dignum erat, de Chriſtiana pietate diſſeruit, puellamq. non incurioſe, per noctem aperiunte omnia arcana Deo, erudiuit, ac luſtrali expiauit aqua. Ipſa interim Pauli catenas, & uincula ore lambere, atque oſculari, & extrema ueſtium lauare lacrymis. At, diluceſcente aurora, ubi inanis thalamus eſt repertus, tunc uniuerſa domus queſtibus impleri: & omnia gemitibus, ac lamentis perſonabant: uarij in urbe ſermones ſeri, uariaeq. oboriri ſuſpiciones: alij impudicitiae fugam illam, alij deſperationi, alij timori tribuere, nonnulli inſcitiae; alij ad duriora retrahere; quiſque ſuo ingenio facilia ſibi, aut ardua, decora, aut turpia, neceſſaria, aut praecipitia fingere. genitrix, uelut altera Niobes, dolore, ac pudore attonita,

nita, ſimulacri ſpeciem praebebat. Sed Thamyrides, impotens irae, dolorisque, ſtrepere, iactare caput, angorem animi non ultro premere, caelo iraſci, exſecrari deos, mugire, & in praecipitia ruere. at, ubi nunciatum eſt, puellam Pauli ad pedes decumbentem ſubſidere, pendentemq. ex ore illius, noua rurſus animos perturbatio occupauit: & Tocchia, tanta calamitate in oculis ciuitatis obuerſante, perturbatior, diriſſima filiae imprecari, deteſtata deos, quod tanta ignominia penates affeciſſent, donata puellae luce in nefario piaculo rebellantis a placitis maiorum. Simulq. gentiles ad uindictam cohortata, incitare Thamyridem, ut iure uteretur ſuo, accurreret ad carcerem, raperetq. impudicam ante Proconſulare iudicium; non amori, non ſexui parceret; aduerſus crudam, impiamq. uſurparet crudelitatem. Ipſa uero, paſſo capillo, atrata, adſpectu lugubri, in ſummo ſqualore, ad Praefectum Vrbis deueniens, cum diu ſiluiſſet, ſoluiſſetq. in fletum oculos, uehementiſſimis tandem precibus obteſtatur hominē, ne deorum iniurias obliuioni traderet, ne ue, puellae miſeratus, factum ignorationi adſcriberet, ſed affligeret ſontem animum, prolemq. nefaſtam, ad aliarum uirginum exemplum, abſumeret incendio, deleret exſecrabile piaculum, pacaretq. nefandae uictimae cruore Deos immortales: ſi uero eorum iniurias contemneret, & parcendum uirgini in animum induceret, ſenſuros ſuperum iras Romanos; faciundamq. omnium uirginum iacturam, occaſurumq. defectu ſobolis terrarum orbem, ſuadente gentibus uirginitatem Paulo, damnanteq. connubia, iactans. Praefectus, matronae lacrymis, uocibusq. permotus, Paulum, male affectum, ac uerberibus diuexatum, opido pellendum cenſet, Theclam uero tradi ignibus iuſſit. Concurſum ab uniuerſa ciuitate ad ſpectaculum. uulgus feminarum, in multo fletu, ac dolore, horrere atrocitatem ſup-

plicij; & uirgines, paullo ante Theclae comites, ſodaleſque, una cum illa inſtructae, educataeque, lacrymis perituraee ſociae parentabant; metuq. ipſae pauidae praeſtolari uel inuitae finem a parentibus cogebantur: Tocchia, uultu atrox, & pectore laeta ouare in filiae calamitate. pyra ingens, medio in theatro exſtructa, reſina, pice, ac ſulphure linita, ad concipiendam quam protinus flammam aſſurgebat: & circum illam uolitare miniſtri. Rapta ad ſupplicium uirgo, dum animo Chriſti coquit dolores, & magiſtri ſanctitatem, Angelum, in Pauli ſpecie inter turbas uerſantem, & paullo poſt petentem caelum, uidit. Quo uiſo, ardentior facta, properare in flammas: ubi uero nudata, cum purpura, & uenuſtas inter candorem, niuemq. emicuiſſent, cumq. manu, ac rabie lictorum iniiciunda in rogum foret, elato ſaltu, laetabunda ſe iecit in flammas. mitiores hominibus ignes, magno in umbilico relicto ſpatio, ſe in orbem circumfuderunt, ſtupētibus omnibus. illa, Hebraeis pueris laetior, inter Babylonicas olim flammas uolutatis, Chriſto praeconia canere, & idolis maledicere, poenasq. eludere: cum ſubito uaſtarum globi nubium texere caelum, emicuereq. ſonitu horrendo fulgura, euibratis fragore auris: mixtaq. hinc imbre lapſa grando cum turbine exſtinxit ignem, multis e turba occiſis, trepidis ceteris, & in fugam coniectis. Thecla, intellecto Dei beneficio, ſtrata humi, cum demiſſiſſime egiſſet gratias, ueſtimentum nacta ſuum, Paulum perquirit. id tantum curae ſupererat. Paulus, cum uniuerſa Oneſiphori familia, ſub dio, in quodam extra urbem monumento, precibus uacabat, Theclae non incurioſus. urgebantur fame paruuli Oneſiphori filij: nec quidquam ciborum in manu aderat. tunc Paulus, detracta ſibi ueſte, pergere quendam ad emendos panes puerum, ſciſcitandumq. de Thecla iubet. exſecutus mandata puer intrat urbem, uagatur,

gatur, omnia perluſtrat oculis, Theclam conſpicit: eam de Paulo edocet: laetamque, ac mire plaudentem perducit ad Paulum, non minori laetitia perfuſis ſociorum animis. Quae ſibi obueniſſent, Thecla enarrat. Dant ſe iterum precibus: & cibum cum gratiarum actione deſumunt. Ibi Virgo Paulum obteſtatur, uti, detonſa coma, indui uirili ſe habitu pateretur, ipſumque, quocumque tenderet, ſequi, ſeu Aſiam peragraret, ſeu uolueret animo Romam: ſummum bonum, ſummam utilitatem captaturam ex eius praeſentia, & monitionibus, ſi abſtracta eius oculis, ac pedibus eſſet: nudatam conſilio non mediocria adituram pericula, atque inſidias, neque id nouum, Romanis, Graecisq. paginis eſſe in fama, Hypſicratiam per fluenta Euphratis, deuia Colchidos, Iberosq. uertices, ac Boſphoranas undas ſubſecutam armatum uirum fugientem ſigna Romana, uictricesq. Aquilas, ſe uero non impudicitia rapi, non cupidine gloriae, ſed Chriſti flagrantem amore id anhelare, neminem patria inter ſuos meliorem fieri aſſerens. Obluctari Paulus, negans decorum hoc puellae, aut natalibus, nec tutum tantae pulchritudini: refrixiſſe in hominibus pietatem, exſtincta quoque animi ſimplicitate: corruptos iam mores, & auctam licentiam: & omnia foeda uolui apud mortales: nec, ſi capilli honos demeretur, aut ipſa ſago circumdaret membra, roburq. effingeret uiri, haud depulſum iri ueneres obtuſo oculorum ſplendore, aut fugata ſuauitate oris, omne facinus in cupidine, & ardore excuſabile, ementitum & latitans ſpecie pietatis adaugeri, ſi in lucem erumperet ipſam puellam eſſe, (non id decore iuuentae, ac pulchritudinis in obſcuro futurum) grauem ſibi, reiq. Chriſtianae infamiam, ſummam ipſi futuram ignominiam; ſaepe euentu ſpem triſti eludi, & nimiam fiduciam infauſta ſortiri confirmat. hoc acrius inſtare precibus Thecla, & magnanime polliceri ambobus

auxilium, nõ haec ſibi infuſa forent, ſi diſplicerent caelo, ſequi Paulum gentium magiſtrum, (quem ipſe ſibi Deus in Euangelio ad erudiendum orbem terrarum ſegregarat) optimam ſalutis uiam, ac ſaluberrimum conſilium eſſe dicere. rogantibusq. cum ea etiam ſociis, inuitus aſſentiens Apoſtolus, cum Iſauriam, Pamphiliamque luſtraſſet, uoluiſſetque Theclam honeſtiſſimo, ſed muliebri ueſtitu incedere, Antiochiam Piſidiae contendit. ad urbis portas obuium habet quendam Alexandrum Syrum, inclytum diuitiis, & auctoritate, iuuenem audacem, & manu promptũ, ac libidinoſum. hic praetergredientem Theclam cum diu legiſſet oculis, & formoſiſſimã iudicaſſet, incendi paullatim, & torreri libidine, facile in uenerẽ inter tot decora pruriente animo. hauſta flamma, hauſtiq. furores impulere in ſcelus, blandiri uirgini, laſciuiam oſtentare, decus oris, corpus inſigne, oculosq. laudibus attollere. ubi intelligit non moueri illam, & ſperni blanditias, tacito rubore decurrente per faciem, implente repulſae locum, in biuio, conſpectuq. multorum uirginẽ amplectitur: inuadit in collum: oſcula infigit, uel apud ſcortum modeſtior. at Thecla, perturbata, inter flammas oris, oculorumq. minas, in toruo ſupercilio, unguibus aduerſarij os dilacerat, auellit crinem detracto capitis tegumẽto. ſcindit ueſtem: faceſſit iniuriam: conſtanter, generoſeq. ab ſe repellit. Alexander, etſi fronte uerecundiam ignoraret, minaciter fremere. &, quia Chriſtianam ex uirginis ore ipſius didicerat, minitari poenas, & ſupplicia, commemoratis equuleis, beſtiarumq. feritate, ac dente. At Virgo, ſpretis, quae dicebantur ab Alexandro, proſequi comites, & intermiſſum repetere iter, anxia, ubi Paulum reperiret: quem bis, gemina ſua calamitate, quodam modo ſubreptum dolebat. Sed Paulus, cũ uniuerſo Chriſtianorum conſilio, non quietem pati, aut capeſſere ſomnum, ſed

ſpiritu feruenti, magniſq. precibus diſcipulae cauſſam Chriſto commendare. Alexander interea, anhelans crudelitatem, amorem uertit in odium, pruriginem libidinis in caedem, oſcula ad plagas, ſitimq. cruoris, uictum ſe indigniſſime fremens, inter ſaeuiendum tacitis cogitationum uulneribus non mite cruentari: adit Proconſulem: ſacrilegij, impietatiſq. uirginem accuſat: ueneficam, rebellem, diis, Caeſaribuſq. maledicentem aſſerens. Proconſul, auctoritate dicentis impulſus, accerſit uirginem. Fatur illa generoſe, Chriſtum ab ſe coli: & cultum iri, poſtpoſitis omnibus idolis, affirmat. Proconſul, patria ſuperſtitione euictus, & gratia ſimul Alexandri, poſt triduum puellam ſubiici beſtiis iubet. Illa hilaris petit a Proconſule, ut apud aliquam matrem familias caſte aſſeruaretur. Annuit Proconſul: traditurq. Tryphaenae, grauiſſimae feminae, notaeq. Auguſtali aulae, ac Senatui, uiduato paullo ante toro, & funeſtis penatibus occaſu unicae filiae, Falconillae nomine, (ut eſt apud Ioannem Damaſcenum, grauem in primis auctorem, atque doctiſſimum) in luctu uerſanti, inſignis modeſtiae, ac uerecundiae. hãc tanto ſtatim ſibi Thecla amore deuinxit inter enarrationem cauſſae, & innocentiae, atque caſtiſſimos mores, ut matrona redditam ſibi Falconillam crederet, illius maxime uiſa in ſomnis ſpecie, auditaq. uoce precantis, ut humaniſſime cum Thecla ageret. Interim peruagatur opidum fama, puellam aduenam, pulchritudinis mirae, ac uenuſtatis, Alexandri praegrauatam iudicio, pugnaturam cum beſtijs: magna ſubito admiratio oborta: concuſſae omniũ mentes, ac pietate perſtrictae, uel Thracem, ac myrmillonem in tali caſu lugentes: anxie tamen exſpectari certamen. elapſo triduo, omnis ad theatrum turba cucurrit, impleuitq. loca. acceſsit & ipſe Proconſul, cum ingẽtibus nobilitatis agminibus, Alexandro inter turbas eminente, & procaciter ad

femi-

feminarum choros attollente oculos. Tryphaena, miſerata adoleſcentiae uirginis, cum manu mulierum eam in theatrum comitatur, inhaerens ceruici, amplectens, osq. ſuauians. par comitantiũ erga uirginem miſeratio, cum gemitu, ac lacrymis. nulla in theatro populi uox, ſed maeſtae omnium frontes, aegriq. animi. at Thecla impauide decurrere in necem, reſpectare ſupplicij locum: non mortem horrens caſus deflere ſuos; ſed, intenta in caelo, demiſſe IESVM CHRISTVM precabatur, illiusq. dulciſsimum nomen ſaepe inuocando repetere: & ſic abſente cum Paulo (cuius haud quaquam inter diſcrimina, & pugnas obliuiſcebatur) tacita loqui: Cuius nunc gentis, fulmen Chriſti, claſsicumq. terrarum, aures deuerberas? quae tam fortunata gens ſacro tuo fruitur alloquio? quae te Regio fouet amplexu? quibus ue circumcluderis caeli cardinibus? Syri, Phoenices, Ionae, an te uortices admirantur, Euphratis pauente Seleucia? quis te mihi turbo raptum ea tulit ad ſidera, ignotumq. axem, uirtute Heliae parem, & munere clariorem? age nunc, maxime Paule, quam praeſens inter carnifices, morteſq. dereliquiſti, tueare abſens. ſpatia terrarũ non metitur Deus: animorum ſinceritate, & religione gaudet. ſed abſit opinari, me tua eiectam ex mente: nefas hoc. non temere aberras. qui arcana Dei feliciter hauſiſti, ſi preces pro me fuderis, non trepide occumbam. expeto iam ferrum pro Chriſto. nullo mortis terrore cõturbor: ſatietur cruore leo: dilaceret mẽbra leaena: urſorum exſultet in ceruice crudelitas: tabo, ac uiſceribus diffluant ora tygridum: hoc mihi amarum, te nõ uidente cadere. Laxatis interim repagulis, emittuntur e cauea leones, longa inedia macerati, &, ſublato rugitu, iubas quaſſantes, ſeq. cauda deuerberantes: & procedunt in arenam. hi conſpecta uirgine, mitigati, praebent obſequia, euicta feritate, placide circumcurſant, ac blan-

diuntur. accurrit Tryphaena, nõ audente dignitati mulieris contraire lictore. Virginem domum ducit hilaris, plaudensque. uerum Alexander, nec beſtiarum iudicio uictus, opinioneq. circumſtantium iterato furore, Theclam in iudicium, atque arenam depopoſcit: ſed repreſſit hominis impudentiam, audaciamq. Tryphaena, foribus arcens. tunc a Proconſule miſsi lictores in theatrũ uictricem perduxere, ad experiundam iterum beſtiarum ſaeuitiã. ante alios impaſtus plures per dies praecucurrit leo, ſparſurus uiſcera, impleturusq. ingluuiem, cum, ad conſpectum uirginis pulſata feritate, ueluti catellus ad illius pedes procumbit, cauda adulatur, lambit plantas, non audet nuda uirginis membra reſpicere, torue caueã, arenam, & ſpectatores intuetur, cruentus fremit, percuſſores laceſsit ad pugnam. induit bellua humanitatem, qua exciderat homo. concurſum inter ipſas belluas, ob tuendam uirginem, pugna atroci, ac funeſta. ſatisfactum auidis cruoris, & certaminis cupidis. Populus, miraculo ſtratus, nõ loqui, illacrymari, uertere in omen, & pietatem animos, diffidere diis ſuis, & innoxiã puellam credere. Alexander haud ſibi deeſſe, urgere Proconſulem, & ex adſtantium pectoribus fugare pietatem, & in uirginem armare, aliud inſtituendum certamen, & aliud ſupplicij genus placandos ad deos, propitiandaq. numina aſſerere. nihil amante in ira, & poſt repulſam crudelius, aut turbulentius. ex faucibus leonum innocens in ſerpentium foueam deiicitur. pergit audaciter, nec ſerpentem expauit: ſed uincitur iterũ humana crudelitas manſuetudine beſtiarum: omne uenenum in colla ſerpens collegit: internecinum, atque immortale cum muliere bellum intermittit: detrectat pugnã, quam non infauſte pugnarat: ſuũ mulcet ipſe ardorem, ac furorem retundit: exiguũ ſibi quaſi exſilium, in aqua angulũ deſcribit: ceruicem interdum cuibrat, & noxias faces, intortumq. explicat

plicat corpus,quo terreat uirginis hoſtes. uerum ignis, cum alijs elementis, in uirginis fauorem certans,micantis globo flammae & uirginem texit, enecauitq. ſerpentes. Sublato populi murmure, aperte Virgini fauentis, Tryphaena, in aggere ſtans, uirgini dexteram extendit, trahitq. ex aqua, ac candidam illi ſtolam iniecit. Quod uidens Alexander, aegerrime, ac triſtiſſime ferre, rem magicis artibus tribuere, ualere Chriſtianos maleficijs, ualere nefaſtis diris, atque carminibus, quibus hominũ mentes terrentur, conciliant urque: non ceſſandum a tormentis,donec uenefica diriter occideret, expiarenturq. deorum ſacra. magnum pudorem cum ignominia caſurũ dijs, ſi uiua ſaltatrix poſt frenatam beſtiarum ferociam, hebetatamq. uim ueneni, laetabunda, ac uictrix populorum animos Chriſti iuſſis, ſacrisq. proſterneret, dicere. Quod ubi excepit Virgo pietati inferri iniurias, rẽq. diuinam ueneficijs adſcribi indignata, in conſpectu multitudinis ita diſſeruit: Nimirum hoc eſt ingenium inuidiae. ut caeca in bonis, oculata in malis, ridet, & denegat, quae fugiunt obtutum; deprimit, & obſcurat, quae non fugiunt. ibi delira, hic liuida, utrobique impia, dũ aut numina mortalibus eripit,aut mortalia numinibus;& uero, ſi, quae cernitis admirabilia, magicae arti adſcribi poſſunt,&Deo,quae uos ſchola,quae religio docuit praeferre homines Deo,puluerẽ caelo,caduca ſempiternis,& errantium moderatorem aſtrorum non modo lapillis addicere, & alligare myricae, ſed,quod foedius auditu eſt, nequiſſimorum hominum uitae,uerbisq. poſtponere,cõtradicente fide, repugnante ratione, reclamante natura? non eſt, ut putatis, acuti homines, uis haec perpetrandi miracula communis cum Deo. Solius enim eſt Dei, qui facit mirabilia magna ſolus. Etenim, ſi miraculum illud eſt, quod naturae uires, & facultatem ſuperat, illius tantum erit patrare miracula, qui non ſubditur

tur naturae legibus, qui nullius coercetur arbitrio; qui famulantem ſibi naturam intuetur, & obſequentem imperijs, qui ſolam habet uoluntatem pro lege, pro idea faciendarum rerum ſeipſum. quare, quae uobis praeter communem uſum fieri uidentur, ſi naturalium cauſſarum limites, & efficientiam tranſgrediuntur, a Deo ſunt, non ab hominibus; ſi non excedunt, ſpeciem quidem habere poterunt magnarum rerum, & laruas praeſeferre miraculorum, adumbrataq. ſimulacra; quia tamen ſupra naturam non ſunt, miracula uera haud ſunt. Ibat Oraturus ad Salomonis templum Petrus, Apoſtolici Senatus Princeps, a Chriſto Saluatore meo conſtitutus, pauper auro, ſalute, & poteſtate ditiſſimus, cum in ipſo ianuae ueſtibulo (quae Specioſa dicebatur) claudum offendit, ab utero, mendicantem. conſtitit. miſertus eſt. indixit paralyſi diſceſſum. iuſſit iacentē ſurgere. nec mora, morbus omnis abſceſſit; nouum inuaſit robur artus. &, Eccleſiae ba
„ ſi praecipiente, protinus conſolidatae ſunt baſes illius,
„ & plantae. ſtetit, & intrauit cum illo in templum exſi-
„ liens, & laudans Deum. Quam grande miraculum? ſuperſunt maiora, umbra ipſa Apoſtolorum Principis uniuerſorum facta eſt languorum antidotum, omnis malagma uulneris, cunctarum oblitteratio cicatricum: &, con uerſo rerum ordine, tenebrae lumina moderabantur, um bra corporibus medebatur. quid umquam auditu maius? quid poterit ſanguine, qui tot praeſtitit umbra? afferant ueſtri, ſi quid habent ſimile, (licet iactentur Syriacae fabulae, & Aegyptia portenta) ubi non adhibentur medicamenta, aut extrinſecus membris, aut uenis intrinſecus non miſcentur pocula. non manes ab inferis accerſun tur: non cineres temperantur damnatorum: non lineae ducuntur in ſabulo, ut a Magis fieri conſuecuit, inito cum daemonibus foedere: ſed, ad teſtificandam Dei naturam, in Chriſto ſolo, Chriſti nomine, & uirtute, patrantur.

Audi-

Audite talis umbrae ductorem, & obſtupeſcite. Conijcitur in uincula, frementibus Iudaeis. in iudicium uocatur, non alterius criminis reus, quam collatae ſalutis. cauſſam cogitur dicere, ac poteſtatem tueri, quam tamquam e caelo delapſam colere debuiſſent. O ſcelus! non uereri uices gerentem Dei: non frõtem, non uerticem ex timeſcere, omnium gloriam Regnorum, omnium decus inſularum; non perhorreſcere maieſtatem, ex ore, ex oculis, ex umbra manantem? Dixit tamen intrepidus, ut Petrum decebat. non timuit aut accuſatores, non carcerẽ, non ipſam mortem, qui crucem habebat in uotis: nec adſcripſit ſibi diuinae characterem uirtutis. in eum retulit, a quo acceperat, ſuae contemptor gloriae, ſtudioſus, & „ praedicator alienae: Et quid (inquit) miramini, uiri Iſ„ raelitae, aut nos quid intuemini? quaſi noſtra uirtute, „ aut poteſtate fecerimus hunc inambulare. Deus patrum „ ueſtrorum glorificauit filiũ ſuum Ieſum, cuius nos teſtes „ ſumus: & in fide nominis eius hunc, quem uos uidetis, „ & noſtis, confirmauit, deditq. integram ſanitatem iſtam „ in conſpectu omnium ueſtrum. Quid mirabere, uirtutem operantis, an loquentis humilitatem? illa ſpecioſior, haec praeſtantior. ſed quam bene & fontem miraculorum, & finem attigit Chriſtum, & fidem? omnis ab illo poteſtas oritur: huc omnis dirigitur, ut ueritatem fidei ſtabiliat, & fulciat. nullum ergo miraculum non ab illo: nullum ad faciendam mendacio fidem, aut ſtabilimentũ errori: cum nec falli poſſit ſapientia, nec bonitas fallere. Sed, quis tot prodigiorum magnitudinem, uarietatemq. recenſere poſſit? quotidianis nuntijs incaleſcunt aures ueſtrae e Syria, Iudaeaq. uenientibus. Inhorret Orontes, ac finitimae gentes obſtupeſcunt, omni ferme Aſia ijſdẽ concuſſa motibus: & uos portiunculam quandam magico murmuri tribuitis, nullo iudicio, nullo delectu? Sed uideamus alia, quae nec ex daemonum quidem conſor-

tio

tio facere poſſunt ueſtri ſapientes. excitabunt illi quidē tonitrua, uibrabunt fulmina, turbabunt flatibus maria, grandine ſiluas obruent, turbinibus aedificia concutient: ſed reſtituant, ſi poſſunt, defunctos uitae, reddant caecis animantibus lumina, ſiſtant ſtellarum, ac lunae curſum, aut aliquem ex caeleſtibus orbibus motu concitatiore propellant. non alijs hoc datum uiribus, quam illius, qui caeli, terraeq. molē ſua ui ſuſtinet indefeſſus. non enim ſubiecit Deus Angelis orbem terrae, ſed huius uniuerſitatis partes, quas firmiſſimo nexu coagmentauit, ac uinxit, ſuae reſeruat curae, ſuis dumtaxat nutibus ſubijcit, unde pondus omne rerum, & ſtabilitas noſtra uibratur. Hinc ad illius crepundia omnia plena miraculis. in illius obitu omnia concuſſa, ſpectante caelo, terraq. auctorem ſuum, fractis humeris, dehiſcentibus plagis, nunc ſub Crucis ſarcina laborare, nūc ad noſtrorum cogitationem ſcelerum in ſanguinis imbrem liqueſcere, nunc conclamari ſacrilegum, qui eſt ſanctitas ſacerdotum, nunc reum
„ amentiae fieri, per quem reges regnant, & legum condi-
„ tores iuſta decernunt: denique confixis manibus, pedibusq. tolli in excelſam trabem plebis imperitae ludibriū, non ſuſtinuit tam atrox, & immane ſpectaculum natura. emolliti ſunt lapides in ſenſum doloris: quandoquidem potuere mortalium pectora lapideſcere: elementa terrarum hiatu, montium ruina, ſciſſione lapidum tamquam nouis linguis in caput noſtrum protulere ſententiam: infernae ſpecus, atque ſepulcra mortuorum oſſa, ac cineres reddidere, ut proderent de tumulis iudices, qui de uiuorum crudelitate cognoſcerent: ipſa denique aſtra, nigris obducta uelis, & pulla ueſte, ingemiſcente terrarum orbe, Creatori ſuo dederunt inferias, ut his admirabilibus prodigijs uiuentium perfidiam, & morientis diuinitatem teſtantibus reſipiſcerēt Crucis auctores, ac fabri, ipſo redempti ſanguine, quem fuderunt. Inter riſum, ac ludibria

dibria excepta dicentis oratio, miſcente clamores Alexandro, & maiora moliente certamina, iraſq. aduerſus uirginem,pariq. audacia perurgente Proconſulem ad defenſionem numinum, glorioſe a Thecla ſtratorũ, in ſumma populorum admiratione. indomiti tauri, ſilueſtreſq. incitatiſſimae feritatis ex Alexandri conſilio producuntur in medium, horrendo mugitu auras implentes, & ungulis quatientes humum, ſparſo puluere, iactatiſq. palearibus, & minaciſſima fronte, caudaq. arrecta. Annuente Proconſule, inter duos media tauros uirgo alligatur, igne obſcena beſtiarum adurente, quo ferocius, immaniuſq. proruerent, raptarentq. innocentẽ. obſtrepit concio. geminatur clamor ad irritamenta beſtiarum. illae non loco moueri, non procurrere, aut in ſaltus attollere corpora: ſed funibus ambuſtis haeſere, uirgine nihil laeſa, trepidi, ſtupenteſque. Quod ubi animaduertit uulgus, ſenſereq. optimates prodigium, damnante imprudentiam ſuam Praefecto, dicere ſanctam, & dijs cariſſimam uirginem, Ioue natam, Mineruae germanam. iam inſeruiſſe beſtias: puduiſſeq. atrocitatis temere in caſtiſſimam uſurpatae homines: non defutura ad obſequium ſidera in coetu caeleſtium. quiſque Alexandri furorem exſecrari, & male ſanos amores, damnareq. funeſtam libidinem, obſtrictam ſcelere ciuitatem, & dijs inuiſam fore, ni piacularia fierent ad placandos deos, elutiſq. facinoris ſordibus, luſtraretur, purgareturq. opidum. His uocibus perſonanti theatro affertur rumor, nimia erga innocentem miſeratione, nimioq. dolore euictam in mortem exſpiraſſe Tryphaenam. ruere omnes, aggeratiſq. uocibus perſtrepere: caſum nobiliſſimae mulieris lamentari: maerere, nec continere lacrymas, addito a Caeſare metu, ſi ulciſci iniuriam mulieris, & ſceleris immanitatẽ uindicare uelit. quiſque ad exanime cadauer accurrere. iniecta aqua, reuocatur, ueluti e graui ſopore emer

genſ, turbidis luminibus, & ore. tunc Proconſul accerſitam uirginem placide affatur. fatentem, ſe Chriſti ancillam eſſe, cōſolatur: nudam ueſtibus amicire iubet: temeritatem ſuam excuſat: illius conſtantiam celebrat: Iconienſibus ſcribit in hanc ſententiam: Vobis Theclam ueſtram, uerum colentem Deum, dimitto. Tunc feminarum uulgus, in ſpectaculum effuſum, uictrici feliciter inclamat: uictoriam illius ſuam ducit: circumcurſat: Chriſtum Theclae Deum laudibus concelebrat: uirginē amplectitur: actoq. de beſtijs, hominibusq. triumpho, comitatur euntem in Tryphaenae domum. ibi hæres ex aſſe a matrona inſtituta non deſiſtit Chriſti doctrinam euulgare, credentes erudire, ac confirmare in religione. Iamq. ab omnibus cultam tam tranquilli ſtatus taedere incępit, procul certaminibus, quaſi laſciuientem. In ſumma rerum ubertate, & uidendi Pauli cupido, & erga hominem amor depaſta iam pectus quietam uirginem non ſinebant. ergo, ut audiuit Myris in Lycia eſſe lat e fundentem Chriſti nomen, acriori inflammata cupiditate, legit itineris comites, iuuenes, ancillasque: detractaq. ſtola induit uirilem habitum: deſumptoq. uiatico, multo cum Tryphaenae gemitu, ac dolore, ab amplexibus diuulſa, pergit ad magiſtrum, non itineris longitudine, non laboribus, non aeſtu, aut algore defatigata. quam conſpicatus Paulus, poſt ſalutem, admirationemque, ſciſcitatur ab ea, quo in ſtatu res eſſent, quidue illi eueniſſet: ſimul & de comitatu interrogat. illa, traducta in Hermiae domū, cuncta ordine exponit, quae ſibi Antiochiae in Piſidia obtigiſſent, laetis omnibus, & pro gratiarum actionibus in preces prouolutis. tunc Paulus, inſtante maiorum periculorum mole, nondum Aſia perdomita, Iudaeisq. compreſſis, & Graecia ſuarum faſtu diſciplinarū adhuc tumente, Romanis ſuperſtitionibus imminens, hortatur uirginem, ut Iconium repetat, patriam inuiſat: nihil de-

hil de-

hil decentius aſſerens, quam, ob Chriſti amorem, ſi neceſſitas urſerit, in patria pro ciuibus cadere. Thecla, etſi inuita, intellecto magiſtri oraculo, parendum in animum inducit: ſolatium ſuum poſthabet: auctoritati monentis acquieſcit: poſt precationes, & mutua caritatis officia, conſalutatis amicis, abſcedit Iconium Lyciam, Piſidiamque emenſa, Lycijs ſortibus deluſis, dante Patarae reſponſa Apolline ex fabulis poetarũ. nec uenientem matris amor, aut penatium dulcedo excepere, ſed Pauli ſacrata ueſtigijs humus: teritq. oſculis lacrymabunda in Oneſiphori aedibus locum, ubi ſubſidens docuerat Paulus. tanti ſummae, praeceillentiſſimaeq. uirtutis Doctorem gratiſſima diſcipula aeſtimabat, ſuum licet Socratem Plato iactet, Platonemq. Ariſtoteles, ac Theophraſtus attollant. Sponſo e uiuis exempto, reperit uiuentem matrem: conatur ad Chriſtianam religionem traducere: in id ſtudioſiſſime incumbit. ubi non flecti, ac moueri ſenſit Idolorum ſuperſtitionibus inuolutam, uetulam pertinacem, moroſam matrem, elatam fœminam, impios exoſa lares, proficiſcitur ab urbe, locumq. extra moenia, Pauli adſpectu, ac precibus nobilitatum, dum ipſa cum igne certaret, uenerabunda adit: contendensq. in Iſauriam, inter Lycaoniam, ac Ciliciam ſitam, deuenit Seleuciam, offenſa deinde frequentia loci, ac quietis cupidine capta, procul euripis rerum humanarum, per mille paſſus receſſit in montem urbi proximum, (arundinetum, roſetumq. incolae uocabant) lucentis fulgore nubis praeeunte: nactaq. ſpeluncam, pro paterna domo eam ſibi fingit: ibi caeleſtia meditari, cubare humi, beatarumq. mentium alloquio frui, ſolitudine prorſus ipſa perbeata. tantam ſanctitatem, caeleſtisq. uitae inſtituta ſubſequuntur admiranda prodigia non modo cum animarum ſalute, ſed etiam corporum. quippe fundi, ac fugari quotidie daemones, longaq. corporum poſſeſſione detrudi, ululantesq;

gementesque, & aegrota corpora ad adſpectum ſpeluncae, nondum Virginis oculis illata, ſubito conualere, ac uirere morbis omnibus depulſis cernebantur. gentem crudelem, latrociniis infamem, deorumq. figmenta ſectantem, in pietatem, admirationemq. miracula fregerant, ſpreta Coo, Hippocratis ſui nimium iactatrice. effert animos Iſauria, tanti miraculi, ac ſanctitatis conſcia. nec amplius ad P. Seruilij, magniq. Pompeij tam ieiune, atque humiliter memoriam, nomenq. intremiſcit: ſed oritur illico aduerſus uirtutem non leue certamen auaritia, atque inuidia familiaribus hominum morbis in illius excidium arma, facesq. miniſtrantibus. cogunt conſilium Seleucenſes medici. queruntur de Thecla grauiſſime. inopiam ſuam fatentur, ſenſuri grauioré, intolerantioremque, ſi patiantur latius fundi uirginis nomen, illam memorantes Epheſinae Dianae miniſtrã, ac ſacerdotem conſecraſſe numini caſtitatem, Deamq. pectori inhaeſiſſe diuina afflantem in medicae artis ludibrium, & caeleſtium ſuaue domicilium eſſe Virginis pectus. audendum igitur, nec ferendum ut diuinum poſteritati munus contemptui ſit, Chirone, Aeſculapio, & Apolline decora ſua, artesq. in aeternum defleturis. expugnandam uirginis caſtitatem, & polluendam animam exiſtimant: quibus ſtratis, ceſſura caeleſtia dona, & felices artes arbitrantur. deligunt quoſdam feroci pectore iuuenes, inſaturatae libidinis, & uaecordis audaciae, expertosq. certaminum inter ludicra ueneris, amplexusque. poſt epulas, ac uina, ſermonibus eos acuunt: inflammant ad gloriam: uoluptatem oſtentant: promiſſis onerant: furere iuuenilis manus, & acri in obſcena motu conciri, ac ſe ipſam rapere in nefas. ſcandunt impigri montem, &, ſcelus anhelantes, ſpeluncam petunt. occluſerat fores praeſcia futurorum Virgo: illi inuerecunde inſtare, fores quatere, moliri ſeras, & obiecta impedimen-

dimenta luctari. deploranti iniuriam uirgini impudiciſſime concitati aeſtus cauſſam aperiunt, iubent capeſſere imperata, ſeq. in amplexus accingere. Illa protritum iuuentae florem, macidam iam ſqualore faciem, albentem crinem, rugas, & extremae mala, ac turpia ſenectae memorabat. Iuuenes magis magisq. inſanire: &, uenere incaleſcentes, foribus euulſis, multa ſe ui in ſpeluncam inferunt: uirginem apprehendunt: explere libidinē pertentant. Illi, caelum ſuſpicienti, caeleſtis redditur uox, deponere metum, ſciſſumq. in effugium lapidem reſpicere imperans, aeterna mox ſubſecutura felicitate. Igitur confirmata uirgo, diu inter audaciſſimorum iuuenum manus uerſata, imbellis, & uetula aduerſus praeferoces, & robore corporum praeſtantes integra aufugit, ſeq. hianti inſerit lapidi, qui poſt receptum uirginis corpuſculum, ne ueſtigio quidem ſciſſurae exſtante, integer ſibi cohaeſit, attonitis iuuenibus, & conlaceratum dumtaxat intra manus, lacertosq. uelamen ſpectantibus. Sicq. Protomartyr, octauum ac decimum agens annum, paludata pro Chriſto in aciem proceſſit, perq. octo, & ſeptuaginta annos fortiſſime depugnauit, clariſſimis celebrata triumphis: uictrixq. hominum, ignis, beſtiarū, atque ſerpentium, extremam uitae periodum quam ornatiſſime, ac feliciſſime clauſit, migrauitq. ad Deum pluſquam nonagenaria, Paulo, magiſtro terrarum, paene par, reliquis omnibus antelata uirginibus. Fortunata diu Iſauria uideri potuit tantae claritudine Virginis, ac tumulo, uel P. Seruilij, Magni Pompeij, Probiq. Aurelij laurea calcata Iſaurorum excidiis, ac ſanguine inſigni. Intellexit id Zeno Iſauricus, obſcuriſſimi licet ſanguinis, ac turpiſſimae formae, uiliſſimus homo, Auguſtae maieſtatis ſempiternum dedecus, & foedum naturae portentum, ad clades, interitumq. Catholicae religionis, atque Reip. exſutus namque imperio, fugatusq. a Baſi-

 liſco,

liſco, omni ſpe deſtitutus, uertit animum ad uirginem: eiusq. precibus, opeque, pari furore, ac ſcelere in Catholicos ritus debacchante Baſiliſco, in faſces attollitur, faſtum, rebellionemq. aduerſarij crudeliſsimis ultus ſuppliciis; non tamen uirgini ingratus, inſignis magnitudinis aede in uirginis honorem conſtructa, ad teſtandam ingentiſsimi beneficij memoriam nobilitata Seleucia. uixiſſetq. feliciter, niſi nefaria rurſus arma aduerſus Deum, religionemq. ſumpſiſſet. ceterum ſpurciſsimus homo, grauatus uino, ex conuiuio, Arianda uxore iubente, tumulo infertur, & uiuus, uiuorum aura priuatus, inter mortuos uiuens miſerrime exſpirat. Theclae reliquias perſancte Mediolani in auguſtiſsimo templo, nulliq. in terris ſecundo, aſſeruari conſpeximus.

S. FLAVIA
DOMITILLA
II.

QVantum eximia Romani nominis uirtus, aeternumq. nomen cum gloria ceterarum omnium tranſcendit decora nationum, tantum Romanas inter uirgines Flauiae Domitillae praeſtantia glorioſior effulget, ſeu tuenda in caſtitate, ſeu ſpernenda in purpura, rerumq. faſtigio. Maternum illi genus trium Auguſtorum ſtemma cõtingens, ipſum Conſulare, paternum non obſcurum, Flauianum genitorem Tarracinẽſis nuncupat hiſtoria manuſcripta. impoſitum illi amitae nomen, T. Flauij Clementis uxoris, ſanctiſſimae feminae, quae, Chriſtiana ob ſacra, poſt caedem uiri, deiectosq. a ſpe potiundi rerum liberos, quos, aliis inditis nominibus, Domitianus faſtigio deſtinarat, in Pandatariam inſulam deportatur, ſeu ut renouaretur matris, germanaeq. Auguſtorum memoria ad captandam beneuolentiam. Plautillae matris, pietate ſtudioq. a B. Petro Chriſtiana doctrina imbuitur, ſacratisq. undis expiatur. Hoc quoque illi magnificum inter ſplendorem, decusq. natalium, Auguſta etiam inter Chriſtianos manu ablui. Ceterum adhuc tenella humanioribus inſtruitur diſciplinis, ipſi praeceptori ardore uirtutum, ac diſciplinarum admirabilis, fulciẽtibus eius

latera Nereo, & Archillaeo Eunuchis. Irrepſerat namque Parthicus mos, damnataq. Babylonis laſciuia ſpadonum educandi greges, & in ſecreta admittendi, Romanos etiam in penates, ipſamq. aulam. adeo nefarie degeneratum a maioribus in culmine rerum, & felicitate. Hi, nequaquam deſides, ignauique a B. Petro una cum Plautilla baptiſmate loti, ac Chriſtianis praeceptis inſtructi, miro ardore uirginem ad gloriam, Chriſtumq. quam religioſiſsime, caſtiſsimeq. colendum inflammabant; ad perdiſcenda quoque, rimandaq. ulteriora Philoſophorum arcana acuere; iniectisq. interdum ambagibus, & ancipitibus, facere caſtitatis perpetuae deſiderium. Interim moritur Plautilla, xiij. Kal. Iunij a nece Apoſtolorum triſtis, ſqualensque, & pietate erga filiolam, penatesque, ſimul & erga Chriſtianos crudeliſsimis cruciatibus uexatos: ciuilibus quaſſato iam bellis orbe Romano, & undique concurrentibus in Reip. funera, cladesq. Principibus. ſiquidem Nerone ſublato deſciſcẽtibus exercitibus Sergius Galba in Hiſpania faſces aſſumit, quantum in iuuenta Reip. utilis, tantum in ſumma poteſtate inutilis ſenecta & auaritia, funeſtiori omine ante aras & templa penatium militari furore trucidatus, Siluio Othone ciente militum iras, tractis in ſe opibus, haud feliciori euentu: Othonem euertit miſcendi proelij cupido, Germanicis exercitibus pro Vitellio dimicantibus. Victorem nulla ſua uirtute, aut merito Vitellium intemperantia uoluptatum, luxusq. fregere obiectum Veſpaſiani gladio, foedeq. conlaceratum recepere Gemoniae tum primum Auguſto cruore inſignitae: Veſpaſianus, triumphata Iudaea, orbeq. pacato, Iani fores clauſit: Titum filium, paterno dominatu inſolentem, & amoribus infamem, maieſtas imperij, & cura Reip. mutauere in melius orbe decepto uenerabilem, amatumq. uiuentibus, fratris comparatione nefaria. Domitianus, gentili-

cia

cia decora exhorrens, ſtatim in animum Caij uaeſaniam, Claudij ignauiam, Neronis ſaeuitiam, Othonis flagrantiſſimas libidines, Vitellij inertiam, atque intemperantiam transfuſit, ſubdolus, inuidus, ambitioſus, imbelliſque. Foedo in principatu noua furoris monſtra emerſere, Apollonij Tyanaei, ſceleratiſſimi hominis, proculcato pudore, diuinam impudentiſsime ſibi naturam, cultusque aſſerentis, atque Ebionis, reliquorumque ſectariorum: & Principis gladius cruentiſsime in Chriſtianos bacchabatur, aeque noſtris, ac ſapientiae profeſſoribus infauſti, inter creberrima funera, ſtragesq. nobilitatis non uirorum modo, ſed etiam feminarum, ſtratoq. mortuorum aceruis foro, ſuburraq. inter trucem adſpectum intuentis, eiulatumq. morientium. Itaque rebellatum ſuperiore in Germania a L. Antonio, feliciter tamen per Appium Norbanum bellū forte confectum, non Principis uirtute, diſtractis ruina pontis aduerſariorum uiribus. Incurſatae etiam Moeſiae, concuſſae Pannoniae, euaſtataeq. Thraciae inſolentia Dacorum, & trucidata auxilia, legionesq. infamiam augebant, inter plurimorum odia, ipſa Domitia Longina, Aelij Lamiae filia, Principis uxore, in complexu Paridis, formoſiſsimi hiſtrionis, (ne ſcenica ludibria, & libidines capitis ſupplicio piarentur, non inſcia Claudiae Meſſallinae caſuum) machinante excidium. Tulerat Domitianus ſeueriſsimas de tuenda caſtitate leges, ſanciueratq. uel innocentiſsimarum cruore Veſtalium Corneliae Maximae, Liciniae, Marciae, & Aemiliae, cum ipſe Cenſor, & lator turpiſsime omni iure, poteſtateq. abuteretur, de foedato Iuliae neptis, Titi filiae, pudore, adactae partum abiicere, prorſus in omne libidinum genus deiectus: ſimulq. ſilere iuſſerat Babylonicam mollitiem, Semiramisq. commentum, aſtumq. eneruato uirorum robore praepeditae geniturae. Ceterum, decedente ex huma-

nis Plautilla,iuſſu Fl.Clementis germani tutela,rerumq. procuratio Auſpicio nõ ſtolidi ingenij, ſed ſpectatae induſtriae, ac moderationis uiro defertur, qui paullo poſt piis Eunuchorum fratrum alloquiis ad Chriſtianos defecit, damnatis ſuperſtitionibus,carior hinc, acceptiorq. puellae. At, Domitiano, multorum precibus, lacrymisq. expugnato, Flauiae thalamum expoſcentium, digniſsimus ex omni pube Romana Aurelianus uiſus propter egregiam pulchritudinem, maiorumq. opes,ac gloriam. cõcepta illico uota, captataq. auguria: perq. Diales, & Flamines uniuerſa ſupplicatum per templa: conſulti hariolì fauſta omnia canentes: tranſmiſſa ſponſae ampliſsima dona, quae adeuntium matronarum dictis inter Feſcenina carmina, in ſponſae perſonam tranſiens, non ſupprimere cupidinem, nec illepide reſpondere dicentium ſali. Sed Nereus, & Archillaeus, memores obligatae Plautillae dexterae, grauiter ingemiſcentes, triſtari,ac fremere tantam pulchritudinem, floremq. caſtitatis unius Ethnici, impuriq. hominis conculcatũm iri libidine, clariſsimumq. tot uirtutum, & caſtimoniae praeconium illico obruendum, anxij, ne, temerata uirginitate, hauſtisq. oſculis, proruereт in nefas, amplectens idolorũ ſuperſtitionem: quandoquidem uitae ſocietate, caritateq. tori, captis iam amoris pignoribus, facile flectantur animi ad uiri nutum, ſimul & ad praeclara, & turpia. ſi hoc modo cõtingeret, nihil amarius, aut luctuoſius maternis uotis, animaeque, nihil Chriſtiano nomini foedius. cum tripudio inferorum, in ſummo diſcrimine rem eſſe, bellum ingens, ac difficillimum inſtare, omnia iam eſſe ancipitia, & dura, non cunctandum, in celeritate põnendam uictoriam aſſerere. Itaque calenti lacrymarum imbre irrorato ſolo, euocatisq. in opem ſuperis, ad mutandum uirginis pectus, melleq. leniunda dicentium ora cum rore pietatis taciti uirginis

cubi-

cubiculum ingrediuntur: qua cum ita coepere: Si tantum curae, ſollicitudinis, ac ſtudij in exornanda anima, propitiandoq. numine adhiberes, o decus Martiae gentis, Flauia, o lux imperij, quantum in augendis naturae donis, quibus Aureliani caduci, mortaliſq. iuuenis impleatur cupido, ciaturq. beneuolentia, deſudas, dubio procul per aeternas nuptias aeterni Chriſti in complexu ſederes inter aequalium cantus, & choreas, in auguſtiſsimo illo thalamo, cuius omne ad aeuum integra, & inuiolata manent cum caſtitatis, tum gloriae monumenta: cuius fauore elegãtiſsima iſta ſpecies aeternis beatorum coetibus immortalitate ueſtita donaretur, nec ruga foedanda, nec ullo funeſtanda dedecore, aut debilitanda morbo. hoc maternum uotum fuit: haec excedens e uiuis Plautilla mandauit: haec tibi perferenda nobis impoſuit. Tunc uirgo, ſuffuſis rubore genis, placida fronte: Quae maior, inquit, propiorq. Romanae pietas eſſe poteſt, aut praeſtantior laetitia, quam non detrectare taedas, amplecti ſponſum, & gignere prolem, qua populi Romani nomen augeatur, propageturq. familiae noſtrae decus, & quodammodo per ſeriem liberorum perennem eſſe in fama, & laude apud poſteros? Aut quid alia ex parte inhumanius, quid ſaeuius, quam mortalium deuitare cõſortia, ſubterfugere ſocietatem, (nihil enim, ea ſublata, nos a beſtiis diſiungeret) declinare congreſſum aequaliũ, exhorrere uultus, & caeleſti formata manu lineamenta? Quid uero inurbanius, aut moroſius, quam calcare uoluptates, blandientemq. ſpernere fortunam, ſemperq. eſſe in maerore, & gemitu? Ne id quidem a Stoicis traditur, quorum inter philoſophos inhumanior, remotiorq. a uoluptatibus exſtitit ſecta: neque apud noſtros improbantur nuptiae, ipſius in terris agentis Saluatoris adſpectu, miraculoq. ſacratae. Equidem praeſtare magis exiſtimo, iugata exſtingui in femina incen-

cen-

ſubtrahentur. Itaque te, quam paullo ante benigniſſimam puellarum eſt experta pubes, ut duram, moroſam, arrogantemq. increpabit. non culpa tua, ſed aliena. At quia libens, ſciensq. huic colla iugo ſubieceris, culpa non carebis: nec immerito. iamq. tot ornamenta uirtutis, tantaeq. decora pulchritudinis ſubtracta populi Romani oculis uiri iniuria unius, ſuſpicioq. obſcurabit, calcabit, & in abſtruſo concludet. omnia rimabitur, omnia in deterius interpretabitur: iuſtis tuis lacrymis ſaepe dolos, ſaepe iram, cupiditatem, & ſcelus ineſſe exiſtimabit. intolerandum, & maxime funeſtum in amore, uel iuſtis in facibus, in ſumma praeſertim pulchritudine, ſuſpicio malũ eſt. depaſcitur iſta peſtis animos, depopulatur aſſidue, nec quemquam ſinit expertem timoris, angorisque: ubi irrepſerit, breue gaudium, aeterna infelicitate penſante. quippe ſecreta uoluptas, & interna uni cognita amare eiuſdem euoluuntur in pectore metu ſui, cunctorũ in ſe intentis oculis, curisque. Omnis quippe felicitas obnoxia inuidiae: tua poſt decerptum florem, ſtratamq. in thalamo uirginitatem ſeruilis pectora metus ſubierit Romanae turpis. An non memoria tenes, ſuſpicione uirorum uel ipſa in flamma tot editas ſtrages, patratas caedes, mactatasq. puellas? Excellentis gloriae, eximiaeq. uirtutis Mariamnem, Alexandrae filiam, uxorem Herodis, Iudaeorum Regis, quo alio abſumptam fulmine legimus, niſi inſania uiri? dum uritur amore, dum molliter uiuit in flammis, dumq. amatae in luce caecutiat? Stultum ſiquidem eſt, non diſcere alterius malo, aut ex aliena fortuna non metiri tuam. Tunc Flauia: Haeret pectoribus, haeret animo Plautillae meae memoria, quam omni, quo uixit, aeuo dura uiri exercuit mollities, iuncta ſuſpicioni, ſic, ut non raro in Gynecaei abſtruſis lacrymans fuerit reperta. & tamen, quibus genitrix moribus, qua caſtimonia fuerit, commune Romae loquitur deſi-

lit genitricis iram, & uoculam, ſeruili iam pectore exter-
nae famulatur libidini. pauet ad iuſſa uiri: obtremit ad
nutum: pallescit ad uocem. quid, ſi alteri communica-
tas uiderit faces, & genialem torum offenderit? hoc in-
tolerabile ſibi, acerbiſſimumq. malorum omnium iudi-
cat: hoc uno omnes euincuntur dolores: iſta tela perpe-
tuo, altiſſimeq. figuntur in pectore. Quis praeterea fu-
neſtorum exempla caſuum queat explicare? Quis recen-
ſere funera, & mortes? Non iura conſiderantur huma-
nitatis: non affinitas, cognatioq. reſpicitur: non tori pi-
gnoribus, communicatisq. ante amplexibus refrenatur
ira, mulceturq. dolor. pronum in ultionem muliebre ge-
nus impatienter iraſcitur, prorumpitq. in nefas. Dum
enim uiri quaeritur ceruix, dum ſititur ſanguis, natorum
diriter uiſcera ſparguntur, & innoxio ſanguine, iris, ul-
tioniq. parentatur. Pro immane, horrendumq. ſcelus,
alio detortis exiguum intra tẽpus ardoribus, omnia hu-
mana, & diuina in exitium trahere? Reticeatur Lemnia-
rum cruenta prurigo, nefariaq. Prognes, Althaeae, A-
riadnes, Hereſtillaeq. ſileat damnata crudelitatis me-
moria: obruantur Leodices Antiochi cognomento Dei,
aut Thebes Phaeraei Alexandri, Arſiones Demetrij, aut
Cleopatrae Nicanoris uxorum nomina, ob ſummam,
ſceleratiſſimamq. crudelitatem. In ipſa profecto ſcele-
rum commemoratione obtremit animus, diriterq. tor-
quetur. Sed fingamus, nihil horum in Aurelianum ca-
dere: id quod tamen eſt in incerto: polleat ille manſue-
tudine: non ſubiaceat cupiditatibus: ſeruet immacula-
tum torum ab alterius amplexibus: non iraſcatur: efful-
geat liberalitate: excellat cõſilio: amet: ſit denique Ro-
manus, dignus maioribus. Num alia effugiſti incommo-
da, aut euitatura es tormina uentris, grauem fetibus ute-
rum, iactationẽ uiſcerum, tracta pondera diu noctuq; ue,
cruditatem, debilitatemq. ſtomachi, faſtidia ciborum,
E noxio-

noxiorum cupidinem, pallorem oris, arentia labra, & ſqualida, infirmitatem crurum, tumorem femorum, dolorem laterum, coagulatum intra mammas lac, & ſaepe noxium, prolem inde infauſtam, & debilem, (pulchrae matri uulnus profectò ſempiternum) degenerem, obcaecatam, aut taetro agitatam ſpiritu, ita, ut cum aura caeli egeat adiurationibus. & non dubias quoque mortes, & ſaepe horribiles, effuſis uiſceribus, caeſis ue uteris. unius horae momento geminum funus effertur: gemina anima nati, matriſq. pellitur luce. Affatim exemplorum ſe praebet copia cum acerbitate: ſed praeterire in animo eſt: illud equidem pudenti matrifamilias nihil acerbius, duriusq. poſſe cõtingere exiſtimo, quam, membratim extractis utero infantibus, cum ferida ſanie, atroq. cruore, ea phyſicis inſpicienda praebere, quae ipſa conſpicere erubeſcit, quaeq. egregia parens natura non incurioſe obtexit. Ecce refert digna ſe trophaea prurigo: fluxaq. illa dulcedo amara tunditur paenitentia.

Subtacente Archillaeo, rurſus orditur Nereus: Quam illuſtris, inquit, quamq. excelſa uirginitatis gloria, horum quam expers malorum. gratiſſima Deo, cara ſuperis, uerenda hominibus eſt, omne ſcelus paenitentia, fletuq. non difficulter delètur, ruptumq. cum Deo foedus rurſus percuti poteſt: ſola ſemel libata uirginitas priſtinae reſtitui integritati nõ poteſt. Rarum donum, & ideo auguſtum: at, quam foede eorum, earum ue aberrat inſcitia, quantamq. contrahit labem, qui caſtitati uim facit, qui regalem decerpit florem, qui beatarum mẽtium domicilium ueneri deuaſtandum non minus libidinoſe, quam turpiter tradit? Parua mercede a faſtigio deturbamur. uix tentata pugna, atque hoſtili deguſtato cruore, pauidi, flammanti uertimus terga prurigini, aeternam ignominiam, cladem q. nullis lacrymis, uiribusq. deleturi. Profectò impudenter, furioſeq. concidimus, dum

noſtra

noſtra in funera breuiſsimae cupidine uoluptatis nō coacti euoluimur. inſidet ſtatim a facinore pectoribus horror; relanguenteq. prurigine triſtatur, ingemiſcit, maeretq. animus, nec aſſequitur, quod temere ſtulteq. contempſit. Habet ſuam in altiſſimo, excelſiſſimoq. gradu curulem uirginitas, ſecundam a martyrio thyaram geſtat, omnibus inſignitur, amaturq. uirtutibus, Fide circumuallatur, Spei haeret amplexibus, Caritatis oſculis fatigatur, Sanctorum omnium pio cantu, obſequioq. attollitur. Nihil uirginitate praeſtantius, nihil clarius, nihilq. diuinius. Variata inter lilia ſpatiatur, aeternos parit odores. cedit Panchaia, ſilēt felices Arabum terrae, Nabathaea erubeſcit, non attollit ſua thura Pactolus, uireſcit cum laude ſui, & uoluptate ſpectantium: nullis ſubiacet incommodis: nullis tunditur morbis: nulla tabeſcit aegritudine: laeta in ſe, laeta aliis, & tranquilla floreſcit, ſua triumphans ubertate deliciarum. Haec commemorantem Nereum excipiens frater, Curſim tantae, inquit, praeconia uirtutis decurruntur a fratre, ſtrictim percenſentur: nulla quit id expromere, enarrareq. uox: non Oratorum lateribus, aeternis ue Poetarū cantibus, aut immortalibus hiſtoricorum monumentis. languerent in commemorando Athenae: deficerent roſtra: emuteſceret forum. nulla ad tam ſublime donū adſcendit collatio. uictrix, amataq. uirginitas cunctarum per ora uolitat gentium: nullius ueretur inſidias: nullo propellitur hoſte: omnia ſunt ei terra mariq. pacata. ſubſtrati faſces honorant, trabearum cedit auctoritas. Sed age, pulcherrima Flauia, exiſtima tecum ſic unam e beatis aſſantem mentibus: Puella, quo te mucrone uirginitas ſauciauit? quae in te pila contorſit, ut illam tam ſaeue abs te propellas, infeſtiſſimamq. ſibi uenerem accerſas? unde tam dirum bellum, & tam ſubito ſumpta ſaga? Illa te materno prodeuntem ex utero eſt comitata: una

tecum alta, una tibi aſſueta miniſtrare, ſocia in uagitu, inter lucem, & tenebras, inter gaudia, & uoluptates, maerorem, & aegritudinem blande luſit tecum, blande te fouit, libauit oſcula, ſtrinxit ulnis, non a te inſudante diſciplinis receſſit, non Chriſti amplexantem imperia refugit; una tecum caeleſti cubauit in toro aeternis radiante margaritis, & multo pyropo. Sacro Chriſti lauabaris cruore, & ipſa membra tergebat: cur ergo illius obliuiſceris? cur fugatam, eiectam, hoſtemq. iudicatam perſequeris? & in ſacrario ſcelerum, buſtoq. uirtutum ad ipſas ueneris aras mactare quaeris? Si te candor oris, ſi proceritas corporis, ſi dignitas uultus, ſi fulgor oculorum, ſi flaua caeſaries, ſi maiorum inſignia, ſi decora, ſi triumphi, uictoriae, trophaea, curules, trabeaeq. delectant, omnia non ne cernis in Chriſto? Si tibi nuptiae denique placent, ſi expetis ſobolem, en non ne in Chriſto aeternos fetus, & diuinam progeniem uides? Quam clarus, auguſtusq. maritus eſt Chriſtus, quã fecunda mater Eccleſia, temeratis haudquaquam corporibus? Patent caeleſtis dumtaxat uirginibus thalamus, & ſecreta cubilis: ibi aeterna inter oſcula, immortalesq. uoluptates, & iocos nulla praeripitur ſaeuiente libidine caſtitas, nulliſq. inquinatur illecebris: & tamen gignendi nõ aufertur facultas ſine ulla triſtitia, metuq. mortis. Si haec, Domitilla, ingereret Angelus, nonne amplexareris? nonne admitteres animo? non ne priora connubia damnares? At ipſe te Chriſtus affatur: (non enim ſine Chriſto tecum de his loqui ſeruiles animae auderemus) ipſe tui ardeſcit amore: ipſe ſe tibi aeternum promittit ſponſum; ceſtumq. ipſe cupit exſoluere. Ipſum ergo, puella, ne dedigneris, fruſtra poſtea requiſitura. captandũ conſilium dum facultas adeſt implendi. His utroque a fratre dictis, puellae uultus inter loquendum, audiendum, intuendumq. modo albeſcere, modo inducto eful-

ful-

fulgere rubore: lacryma conſpecta in oculo, intraq. pudore reiecta, exauditi gemitus, cum deteſtatione facti & cupidinis, feciſſet, inquit, ſaluator Deus, ut clarior haec mihi doctrina fuiſſet, nec recentia arcana. profecto non tam foede has in ſordes deieciſſem mentē, blanditiis circumuenta, eluſaq. fallaci ſpe uoluptatum, dum omnia maiora, dulcioraq. aſſentatio, & aequalium feminarum uoces oſtentarunt. Facile uerſutis fuit, decipere puellam, haud talibus aſſuetam. nihil iam ſincerū, tutumq. in aula uideo, & inter ſceptrorum inſignia liberam uocem, ſi ingeratur, excipi cum ſtomacho, & pelli auribus ueritatem, ludibria pro laudibus eſſe. familiarium crebro adulatione iugulamur, haud quaquam tam noxio hoſtili ferro. Ceterum, poſtquam Dei placuit benignitati, non admitti tantum dedecus, pelliq. tantum ex animo meo piaculum, maiori ardore, ipſo iuuante Deo, (neque iam deſpero, auxilium pie depoſcens) ac fortiori animo (confert in poſterum ad cautelam lapſus) tantam tuebor dignitatem, parata ad omne certamen ſubeundum: uos afferte conſilium, & precibus attollite. Coepta enim, ni deducantur ad finem, cum ignominia, & riſu a mortalibus eluduntur. Hoc laetiſſimi Eunuchi reſponſo, uirginis celebrare conſilium, & generoſitatem laudibus efferre: cohortari, ne deficiat. Ipſi, ſtatim abeuntes, Clementem Pontificem adeunt: rem geſtam enarrant: praedam oſtentant: decreta uirginis perferūt, & ardorem. Laudat miris illos laudibus Pontifex: actiſq. Deo gratijs, martyrij palmam auguratur. Erat Clemens, familiae ſplendore inſignis, ſanctitate eximius, honoris praerogatiua effulgētiſſimus, Petro exſtiterat cariſſimus, moribus egregiis, atque doctrina, tantaq. demiſſione, ut oblatam a Petro ultro curulem alteri ceſſerit, modeſtia, praecellentiq. ingenio diuinus. Is, cum Eunuchis, tacitus ad Domitillam accedit: eamq. procumbētem ad genua

nua

nua benigne affatus, ſacrata caput uitta circumdedit: fauſtiſſimaq. apprecatus, abſceſſit. At Flauia, profeſſa uirginitatem, mirum dictu eſt, quanta religione, quantaq. eluxerit pietate, ſic, ut aſperitate uitae quiſque facile terreretur. humus illi pro ſtrato, abiectoq. oſtro. praetexta mēbra uincire: duri pili cilicio interna uexante: aſſidua in precibus: uelle pro uirginitate dilacerari, occidique. Sed res, ad Aurelianum delata, turbauit ſerenitatem, horribili procella concuſſis Chriſtianorum omnium animis, poſt Neronem ſtringente in eos ferrum Domitiano, Aurelianus repulſus a ſponſae foribus, accepto quoque repudio uehementiſsime cruciatus, deiectusq. ſpe, non coercere rabiem, non abſtinere a minis, non temperare linguam; quin etiam in uirginem profana, & obſcena impuro ore euomeret. Nec tangebāt animum familiae imagines, ipſa maieſtas, penatium ſanctitas, inuiolati foci, decusq. uirginale, & quondam ſponſi nomen. Furibundus ergo decurrit ad Domitianum; patefactaq. re, incuſat Flauiae temeritatem, Auſpicij proditionem, Eunuchorum impietatem, exaggerans factū, obteſtans deos patrios, Auguſtorumq. numina: denique molitorem omnium inſidiarum Clementem Pontificem aſſerit. Acer effulſit Caeſaris ex oculis ignis, prorupitq. minitabunda uox, ſancita per deorum numen, umbrasq. maiorum, uicturum Chriſtianorum neminem. conſolatusq. Aurelianum, in Palatium ad ſe uirginē perducendam curauit, quam ad ſe uenientem conſpicatus grauiſſime ingemuit. Quam enim paullo ante, ſplendido incedentem Eunuchorum, praetextatorumq. agmine, choroq. uirginum, matronarumq. illuſtri, coruſcante crine, purpura auro, gemmisq. praefulgente exornatam, trahentem ſpeciem dignam opibus populi Romani, dignam imperio, & faſtigio, laetiſsima fronte, afflanteq. uel triſtibus gaudia, & dulcedinem, nunc proclinata ceruice,

uitta-

uittatam, deiectiſq. oculis auerſam populari ab aura,faſtuq. aulico, patriis deſciſcentem a diis, illudentemq. Dialibus Iouis, Martisq. contemplabatur, quam proxime accedentem, ſubmiſſeq. affuſam pedibus apprehenſa dextera in cubiculum ducit, ſedensq. una cum uirgine maerens, crebraq. imis pectoribus ſuſpiria trahens, ita coepit: Si hoc fato Imperium, faſcesq. Populi Romani nobis a ſuperis data eſſent, ut domeſticis clareſceremus infortuniis, utq. externis inſigniremur cladibus, dubio procul hic ſpiritus, & aura horrenda, atque inuiſa forent. Etenim, poſt ſtabilitam, aeterna fatorum lege, in penatibus noſtris, nutantem alieno ſcelere rem Romanam, poſt Dacica trophaea, Catthicam lauream, madefactamq. Sarmatarum cruore Peucem, liquataſq. Iſtri pruinas, poſt expiata rebellantis cruore & anima ſigna, Oceanumq. compreſſum, reſtituto iam Capitolio, ciuili exciſo, inflammatoq. furore, Iouecq. ſua in ſede locato, praecelſo domeſticorum cingimur funerum uallo, diris rurſus urgemur anguſtiis, nouo, inopinatoq. ſternimur uulnere in ipſa curuli, in palmata, ſacratiſſimoq. Caeſarum domicilio, & in ipſis penatibus,tua, o filia, (quid enim dulcius, optatiusq. noſter in te deſiderat nomen amor?) inſcitia, atque ſimplicitate, paucorumq. temeritate, atque inexpiabili facinore. Non incertus iam rumor noſtras conuulnerat aures, (utinam his caruiſſemus & oculis) ne iſta flagitia, tantumq. ſcelus exaudiremus, cerneremusque. Non iam parietibus uulgare ſe murmur continet: uociferatur in foro: ſtrepit ad roſtra: exagitat curiam. nimis praepropera credulitate, nimia ſimplicitate aberraſti, Flauia. parcendum aetati, & cupidini, molli animo feminarum ad fabulas, qui decepit, qui induxit, ei feriunda ceruix, profundenda anima. rebellaſti, Flauia, nullo concita liuore, nulla laceſſita iniuria, nullo adacta ſupplicio, nullis impulſa maiorum exem-

plis,

plis, auctoritateq. ab immortalium maieſtate deorum, ab aeternis numinibus, uetuſtiſſimisq. ſacris: nec euagantem tenuit animum fauorum amplitudo, non coercuit metus, nõ terruere ſupplicia. quid enim noxiis tanta praeſertim impietate, & ſcelere eſt exſpectandum? uiolentus uſus, ſed neceſſarius, paucorum poena, ceterorum documentum, & diſciplina. nec a tam immani, nefarioq. incoepto noſtri reuocauere numen, aut puellaris uerecundia. Quid nobis potuit euenire calamitoſius, quid amarius, quid foedius, in tanto rerũ faſtigio, tamq. lato ſubiectarum ambitu gentium, quam, Flauiam a Domitiano, gentilem a cognatis, puellam a uiro, feminam ab Auguſto, Romanam diſcrepare a diis, inq. turpiſsimam, conſceleratam, & ſeruilem Chriſtianorum ſectam abire? Haeccine accenſa altaribus thura, exquiſita exta, fibraeque, inſpectusq. aſtrorum curſus tuo primo in uagitu, auraeq. afflatu celebritatem, & gaudia portendere, ingentibus ue ſtruibus illati ſideribus ignes lucem, ſplendoremq. praeſagiuere? Fallaces mortalium ſpes, & incerta uota, dum cupiditati magis, quam rationi, deſeruimus. eluſi iam ipſi, Martiae quoque gentis fruſtrabimur uota, exſpectationemque? Viduatus in laribus thalamus, cui Aceſines, Coaſpesq. tributum miſerant, exſtinctaeq. faces cum iniuria deum, cum cõtemptu noſtri, cum maerore populi, luctuq. Senatus iacebunt? An non ne melius, & glorioſius eſt, noſtro te eſſe audientem dicto, noſtraq. capeſſere imperata, & exſequi conſilia, quam ſcelerati illius uenefici (cuius iam diri feralem in capite augurij geſtas amictum) deprauari conſiliis? An ſuſpecta tibi ſunt noſtra, & damnata conſilia? Miſerrimum eum dixeris, quem cognatione nudatum fortuna effudit. noſtris Romana humeris moles tamquam Atlante caelum fulcitur, nutabit leuibus puellae ſecretis? Illius eſt fugiundum conſilium, cuius non manus a male-

ficio,

ficio, & rapina, non lingua a maledictis, non mens a facinore eſt umquam auocata, quieuitque. Ille te ex amantiſſimi, pulcherrimiq. amplexibus ſponſi euulſit: ille te ex oculis populi Romani, ille ex gremio ſubtraxit: qui te adegit in rabiem, flexit ad infanda mētem, qui tibi amara, horrida, & inſuauia pro dulcibus, glorioſis, excelſisq. ſubiecit, & magico carmine, diroq. uerborum ſonitu per calamitates, & dedecora, exploſa honeſtate, (quo Mariae nati calces ueſtigia, & thalamum ſomnies) in exitium praecipitat, & adhuc tamen hoſtiis, ſacrificiisq. precantium, umbrarumq. felicitate noſtrarū apud deos ſuſtentaris. hebeſcit tot lectiſterniis caelitum mucro. adhuc ſuſpēſa a caede manus, auerſumq. eſt ab ultione fulmen, quibus iſta ne redditur merces? Quod te diuina forma bearint, quod nos uictores fecerint gentiū, quod Aquilas, ſibilumq. Draconum per extrema terrarùm felici circumtulerint curſu, quod denique Tarpeiam aequarint Olympo, ut tu tam ſtulte, nefarieq. deſciſcas, ut Chriſto in ligno uexato, in ligno litato ſeruientium Deo aras attollas, & offeras thura? &, ſi detur occaſio, (adeſt fortaſſe animus) in Capitolio loces, expulſo ſuis Ioue penatibus, tumulata Bellona, & obruto Marte? Quid, miſella, exiſtimas fortaſſe non tranſituros fuiſſe nos Chriſtiana ad ſacra, ni profana, ni turpia, ni obſcena forent? An nos circa animorum ſalutem, felicitatemq. deſides credis, ut mortis obliuiſcamur, & condicionis? Curae eadem ante nos Diuis fuere Caeſaribus: & tamen fabularum commentum eſt, atque experientia deprehenſum, nihil uerius, certiusq. poſſe exiſtimari de diis, quam quod a maioribus ſtatutum, & religioſiſſime traditum eſt. Errare cum pluribus, humanum, atque excuſabile; ſoli ſibi ſapere, arrogans. Intemerata eſt populi Romani religio, & certiſſimae caerimoniae, & non dubia ſacra: quibus inſtructi, in uoluptate, & deliciis traducimus ui-

tam, nec erramus. In terris cum diis uiuimus, fruimur eorum uocibus, & oraculis, certi, poſt fata (ſi quid ſenſus animorum erit) cum illis aeterne uicturos. tu modo, filia, depone iſtum furorem: utere praeceptis, ſancitisq. Auguſtalibus: pande animum conſiliis, & iuuetam gentilium moderare caritate, & monitis. parum in femina prudentiae, & conſilij, plurimum fragilitatis, iuuenili praeſertim in aetate, quae, praebita commoditate, perenni in igne, ebullienteq. ſanguine, immodicis naſtatur erroribus, & foeditatibus. Si repugnaueris, ſi noſtra ſpreueris mandata, ſi amorem, ſi conſilia, quid inde infamiae, quid ue dedecoris prouenturum ſit, agnoſceret uel infans, caecusq. conſpiceret. Fruſtra uirginitatis praeconia anhelas, ſi contumacia animum obuallaueris. Caret moroſitate, & arrogantia uirginitas, & falſo nominatur, ſi modeſtia erga maiores, & obſequium abfuerint. Virgo, nihil Auguſti mota blanditiis, nihil territa uultu, aut mollita precibus, breuiter, & generoſe reſpondit: non ſe ituram infitias, aut quae geſſiſſet negaturam: dignam rem eſſe oculis mortalium, & luce: ruborem cerni in crimine, cui ſupplicium praemium, & periodus eſt: ueritatem ſatis per ſe illuſtrem, & excellentem nullo pacto obrui poſſe: &, ſi diu ſcelere latuerit hominum, a ſaxorum, æriſq. cultu, ab illecebris, & corruptelis libidinum tranſiſſe ad Dei cognitionem, ad decus uirginitatis, & famam, libertatemq. ſui, cum ſempiterni ſpe praemij: ſua conſilia quoad obſequia, cultumq. erga maieſtatem, ſemper ipſi fuiſſe addicta, & addicenda: turpe, & intolerandum eſſe, iura proculcare naturae, in Chriſti uero amplexando dogmate diſcreta: optatam illi tamen pacem, & diuturnum aeuum, pia quoque decreta: nihil ſibi cum Ioue, nihil cum Minerua, aut Marte, nihil cum Iunone eſſe: darent alij thura, plicarēt genu, litarent, propitiarent, ſibi litandum Chriſto, illiusq.

liusq. inuocandum, adorandumq. numen: ſi laceſſerentur iniuria cuſtos Capitolij, & Stator, concitatorq. bellorum, & ſanguinis hauſtor ulciſcerentur, uibrarent in uiolatores fulmina, nihil minus ſibi timendum eſſe: turpe, & ridiculum dici, deos hominum egere auxilio in ulciſcendis iniuriis: fractas ab ſe Chriſti benignitate eorũ impietates: detectas fallacias: praeciſam omnem, quam nefaſtis uotis ex ſua ſtrata conceperant caſtitate, laetitiam: emunctum efferueſcentem animorum ardorem: nullum ſibi ob ſuſceptam Chriſtianam religionem relictum paenitentiae locum: nullum inhaerentem ſcrupulum, nec uelle: mutationem conſilij ad meliora optandam: ſibi eſſe optimum, & ad ſatietatem cum incredibili uoluptate, cerni in ſe patriam generoſitatem: non abfuturam Chriſtianam pietatem: iamq. pro Chriſto mori ſtatutum ſubtexens. Tunc Domitianus, maxime aeger, & uultu triſtis, Magna rurſus inquit, filia, pietate erga te mea retardor: rurſus, recordatione aetatis, langueſcit furor, rurſus irae miteſcunt in tanto pulchritudinis, uenuſtatisq. ſplendore, uel pulſatis pectoribus, caloreq. corda euibrante, ipſamq. dexteram in tela, caedemq. ducente, non indigna, & merito deorum ante conſpectum larium noſtra manu uictima caderes, ut cruore tuo elueretur labes, expiareturq. contractum piaculum. Non deſunt exempla maiorum, qui minori in re ſuam erga patriam teſtati ſunt caritatem. Nos te, erga deos nefarie factitantem, turpiter maledicentem, impie detrahentem, adhuc impune ferimus. Imitabimur hac in re deos immortales, qui fortaſſe nondum de ſalute tua deſperarunt. Euincamus nosipſos: triumphemus in pertinacia: ſummaq. in poteſtate teneamus iram. Etſi haud facile ſit, in magna iniuria, & in offenſa praeſertim deorum, iuſtum cohibere dolorem. gemina in te uerſatur impietas, reluctandi nobis, & ſpernendi uim poteſtatemq. nu-

minum. Sed a diis deſciſcenti omnes ſe facile dirae aſſociant. Hauſiſti tot per annos arcana philoſophorũ, Oratorumque: nihil tamen ſancti, ac pij reportaſti: quod ad felicitatem, quod ad maieſtatem, & incrementa Reip. attinet, abieciſti: feralibus ſacris applicaſti animum: matrimonia, ſobolis poſteritatem penitus ex hominum memoria, & uſu tollendam uoluiſti, oblita naturae legum. ad id femina procreata, quo prolem gignat, natam educet, ſtratoq. quodam modo mortis imperio per interruptam liberorum ſeriem naturae ſubleuet imbecillitatẽ. In prole tua, filia, quis non Flauiorum renouata ſibi decora exiſtimabit? Quantum hauſturi gaudij ſumus, ſi per te, mea Flauia, Veſpaſianum patrem, Sabinum patruum, aut Titum fratrem, familiae noſtrae lumina, amplexari licuerit? Quamobrem, filia, hoc infame abiura ſuperſtitionis genus: crudum ex animo pelle decretum: utere focis, utere gentiliciis ſacris: cunctarum ne dedignare Romanarum morem, inſtitutumque. peculiaris uſus in re uſitata, & publica raro ſine infamia. damnatum uirginitatis propoſitum, atque in te maxime abominandũ, haud fruſtra a diis tot in te collatis uenerum, pulchritudinisq. ornamentis. ingens ſcelus, abuti benignitate ſuperum. Tunc uirgo: Non eſt omnium, potentiſſime Auguſte, de diuinis rebus tam alte ſentire, atque ita caelitum mores luto noſtrae mortalitatis imprimere, ut, extinctis libidinis aeſtibus, & coercitis naturae motibus, quibus ad turpia trahimur, terrenarum rerum ſpeciem dedignemur, diuinaeq. pulchritudinis ſplendorẽ, quanta maxima contentione poſſumus, aſſequamur. Multa ſunt, fateor, quae animum, corruptionis expertem, & ſuis ſeſe pennis in ſublime tollentem, illecebris delinitum, & curis inutilibus implicatum, praecipiti ruina in ima deturbant. Aurum, gloria, deliciae, ueneres. Sed, quid eſt in his rebus tam egregium, tam praeclarum, aut

ſubli-

ſublime, quod nos a caeleſtium rerum amore poſſit deducere? Pulchritudo quidem, quae maximum ſemper apud omnes pondus, & uim habuit, quae ſummos, pugnaciſſimosq. Imperatores, ac praeclariſſimos Reges, uel in ipſa bellorum rabie,ſtratarumq. cineribus Vrbium aeternae ſeruituti mancipauit, quae humili loco natos ad ſummos honores,ad regimen, ad curulem, ad Regum purpuram, ſoliumq. perduxit; eſt illa quidem naturae donum, ſed exiguum, quod innumerabiles mortalium caſus, quod paucorum dierum languor, quod breuis ſollicitudo, quod triſte unius noctis inſomnium poſſit eripere. Sunt apud nos quamplurima Regum, Conſulum, ac Caeſarum buſta noſtrorum, & pulcherrimarum monumenta feminarum; ad haec, ſi placet, accedite. Licebit profecto intueri ambuſtos cineres, exaeſas uermibus carnes, pro quibus Oceanum onuſtum claſſibus, ſtridentem ſilua lignorum, ac cruore ſpumantem, ſparſos cadaueribus cãpos, & funeſtatos humanis uiſceribus amnes, orbemq. terrarum uniuerſum ſudãtem in armis uidit antiquitas. O peruerſa hominum ſtudia: o labores fruſtra ſuſceptos: o impia uota. Praeſtaſſet ſane, omnium ſocietatem uitaſſe, ſeſeq. in uaſtiſſimas abdidiſſe ſolitudines, belluis ipſis inaceſſas, odiſſe formam crudeliter pulchrã, quam domeſtica ciuium funera, deuaſtatas prouincias, attritas gentes, funerata opida, populosq. exciſos, & ipſos Imperij Duces, lectas animas, certosq. hoſtium terrores unius femellae pulchritudini ſuo litantes ſanguine ſiccis oculis intueri: & mirabimur gratam eſſe caelo caſtimoniam, quae tot in terra faces exſtinguit, tot incendia reprimit, fluctusq. compeſcit? quae armorum fragorem, Martisq. fremitum ſedat? Dicam amplius, quae extorquet omnipotenti arma de manibus, & dexteram illam ignibus armatam, fulminaq. uibrãtem ligat ad ueniam. Tibi laus, diuina ſapientia: nam, quibus olim artibus

tibus feciſti de carnificina ſacrarium, de cruce trophaeũ, uitae ſcaturiginem de ſepulcris, iiſdem uirginibus ex egregia forma, & rara corporis uenuſtate, quae ſolet fomentum eſſe libidinis, aureos ſtruxiſti gradus ad ueram gloriam. Vtinam, maxime Caeſar, religionis tibi noſtrae ſplendor illuxiſſet: agnoſceres profecto, molitorem orbis de ſummo maieſtatis ſuae faſtigio in unius deſcẽdiſſe Virginis uterum, uagiiſſe in cunis, infantem, caeleſtium luminum Architectum. O uere fecunda uirginitas, immenſum cõcepiſti, aeternum genuiſti. hoc ipſa decus totis uiribus non amplectar? ab huius me ſuauiſſima diuelli ſocietate patiar? Nec me pudebit, uerſantem inter Angelos, optare mortalem torum, & a caeleſti ſponſo, qui me ſibi aeterno foedere copulauit, ad hominum nuptias, amplexusq. tranſire? Quid me uinculis terres? Ornamenta ſunt iſta, non uincula. Quid obiicis fuſtes? Non expaueſcit Chriſtianus ad fuſtes, cuius eſt ſpes omnis in ligno. Quid mortem minaris? Quam Dominus meus in Caluario apertis largae miſericordiae fontibus glorioſiſsime obruit. Quid expedis ferrum? Quid equuleos; quid candentes laminas paras? Haec omnia Chriſtus, reuulſis Acherontis liminibus, foribusq. confractis, & capite ſerpentis obtrito, ne quid ab illis in poſterum timeremus, ab inferis rediens, caelo triumphator inuexit. Sed fortaſſe tua te magis delectant. haec ipſa, quae nobis ſunt domeſtica, contemplemur. Recole ueterum annales: conſule hiſtorias: & inuenies, ſummum ſemper honorem ab omnibus gentibus, duce propemodum natura, habitum eſſe uirginibus: quandoquidem apud mortales nihil eſt Virginis nomine ſanctius, nihil acceptius, nihil fauorabilius. & Veſtales quidem, ueſtris deuotae diis, qui tamen nihil cum Deo, praeter uanam diuinitatis opinionem, habent commune, quanti ſint nominis apud Romanos, ab illis ipſis, quibus circumdaris, lictori-

bus petito. Interroga has aras, haec templa, forum illud auguſtiſſimum, maeſtas, & funebres Pontificum uoces, ſqualorem totius Ciuitatis, infauſtos laqueos, obruta humo nocentium corpora, maeſtitium illud, & ſepulcrales moles: omnia tibi mutis quibuſdã uocibus teſtabuntur, nihil illis in hac urbe ſanctius, nihilq. auguſtius fuiſſe, quouſque Dei filius Ioues, Mercurios, Dianas, Phoebadas, noctemq. illam ſaeculorum atram, atque funeſtam, triſtemq. Erebum ab hominum cordibus relegauit, exſtirpauitque. Vos in medium adducam Tiberinas aquas, quae uirginem in diſcrimen adductã periculo exemiſtis. contendebat populus, uiolatam eſſe: inexpiabile ſcelus: illa, ſe contrafeciſſe, negabat. Senatus uiuam de more defodiendam cenſebat: illa, iniuſte ſe occidi, clamabat. Quid plura? uos innocentis patrocinium ſuſcepiſtis, & uiciſtis: continuiſtis uos ipſas, ſeruati pudoris teſtes, ſupra naturam ueſtram, in cribro: &, diuinae praecones ſententiae, cuius tribunal innocens appellauerat, non uoce, ſed facto, uirginem abſoluiſtis. Quas ego praeterea Claudias, Aemilias, Martias, Cloelias poſſem accerſere? Quid, ſi Graecorum in annales me effunderem? quo pectore, qua eloquentia, quibus ue lateribus Athenienſium uirginum, in pauimento, cruoris adhuc paterni notis purpurato, ſaltare compulſarum, crudeli triginta tyrannorum imperio, generoſitatem, aut placatas Iphigeniae cruore auras, fremẽtisq. pelagi iras, aut cumulata Camillae uocabula, aut inſigne Chalydoniae uirginis ſpolium, Caſſandrae uaticinandi donum, diuturna Spartanorum, ob uiolatam ſuarum uirginũ pudicitiam, aduerſus Meſſenios bella, & implacabiles furores, aut Daphnes, Dryadum, Napaearum, Lemonidumq. agmina efferam? Dies potius me deficeret, quam deeſſent exempla: nec ſolum hoc uirginum, licet earũ praecipuum decus eſt, ſed uiduarum, nuptarumque. Quas

ego

ego Elyſas non tam Byrſa, aemula Capitolij, fundata, quam uita, & fato mirabiles, aut Artemiſias, inter ingentes pyramidum moles, & famoſa ſepulcra lugentes, aut Lucretias, Biblias, Cornelias, Hortenſias, Sulpicias, Porciasque, & eiuſdem multas propoſiti feminas, nec ignobiles pudicitiae magiſtras, poſſem recenſere, quarum apud nos fama numquam caneſcet; immo uero, ut templa quaedã uetuſtate fiunt ſanctiora, ſic illa diuturnitate temporis carior, illuſtriorque. Sed non uacat ſingula proſequi, immenſumq. opus paucis perſtringere. Finem dicendi facio, id dumtaxat obnixe rogans, maxime Caeſar, ut tantam Flauiae gloriam non inuideas, dignam maioribus, dignam litteris, dignam imperio, ac fortuna tua, maieſtateq. populi Romani; &, quam mihi coronam uirginitas nectit, aeternis uernantem floribus, & quouis Indico, Parthicoq. digniorem diademate, ambiri a me aequo animo patiaris: ſin minus curioſus tui, at non mihi hoſtis. His Caeſar euictus, non amplius cunctandum, pugnandum ue cum obſtinata ratus, uirginem in exſilium pellit, Pontia Inſula circumcluſam, aduerſus Formias C C L. ſtadiis a cõtinenti abſciſſa. Quae ubi decretum accepit, nihil turbata, collecta ſupellectile, accitisq. exſilij comitibus, ac ſociis, in inſulam enauigauit, conſtructisq. cellulis, tranquilliſſima frui uita; nunc ſacras legere hiſtorias; nunc Chriſti meditari aerumnas; nunc interdum cum eunuchis, ac familiaribus de Chriſti uirtutibus, ſignisq. ſermocinari; modo effundere ſe in preces; nec diu noctuq. intermittere orandi conſuetudinem; &, tamquam in Pontia genita, cellulam ſuam pro deliciis habere teſtem arcanorum, ac precum. Interim Domitianus, cum quindecim regnaſſet annos, & quinque & quadraginta uixiſſet, X I V. Kal. Octobris coniuratione facta in cubiculo a Stephano, Flauiae Domitillae procuratore, Clodiano Corniculario, Maximo Parthenij

thenij liberto Saturioque decurione cubiculariorũ, ſeptẽ uulneribus trucidatur, anno a partu Virginis X C I I X. Fuluio Valente, & Antiſtio Vetere Conſulibus. Illi Cocceius Nerua ſufficitur, inſignis moderatione Princeps, ſed breuitate imperij felicior. Hic, cum antiquaſſet Domitiani edicta, ac ſancita, multi a Domitiano damnati exilio penates repetiuere: ſed de Flauiae in urbem regreſſu nemo ſcribit: quippe flagrãti cupidine otij, atque in caeleſtia effuſae ſe ab Inſula ſubducere flagitium uidebatur, ex horreſcenti, deteſtantique laſciuientis aeui luxum, & foediſſimas aulae uoluptates, ſordesque inter ſcenica ludibria, ac tragica funera rerum Romanarum. Ceterũ Nerua in I V. ſuo conſulatu, V I. Kal. Feb. inter uiuos deſiente, adoptatus ab illo Vlpius Nerua Traianus ad gubernacula euocatur Imperij, uir pace, belloq. Reipublicae neceſſarius, reddita limitibus ſecuritate, deuicta Dacia, exciſa Cteſiphonte, protritisq. Parthorum pharetris, erga Chriſtianos non mitis. Valerianus, perdite Flauiam deperiens, non furorem continere, aut ueneri ire obuiam potens, impetrat a Traiano, enarrata re multis cum lacrymis, ut compellere ad adoranda idola Nereum, & Archillaeum poſſit, fidos Flauiae, & ſibi non dubios aduerſarios: quos ſi dolo circumuenire, aut lenire blanditiis, aut euertere potuiſſet, palmam deuictae uirginis non dubie ab ſe latum iri, ſperabat. Ergo, impetrato Auguſtali reſcripto, enauigat in Inſulam: &, ne adſpectu ſuo Virginis animus offenderetur, exaggerata ira, germanos ad ſe accerſendos curauit. qui, adeſſe certamen, & mortem non dubie intelligentes, lacrymis oppleti, ac uultibus maeſti, rem uirgini aperuere ad fortia adhortantes, mulcentesq. dolorem: mox ad Aurelianum accedunt. quibus benigniſſime ſuſceptis, ductisq. in ſecreta aedium infelicitatis ſuae iuuenis cauſſas enarrat, oſtentato pectoris uulnere ex ſponſae repulſa: mul-

ta illis promittit, ſi uirginis animum in amorem ſuum,& tori cupidinem reuocent, abnuentibus, econtra, acerba ſupplicia, & certam necem oſtentat. breui finita quaeſtio,ſanctorum animis nihil territis ſupercilio,minisque, aut flexis pollicitatione. Quamobrem uinculis conſtrictos, diuq. fuſtibus caeſos, mox Tarracinam tranſuectos, ablato capite occidi iuſſit Memmius Rufus, Conſularis, ſine dubio praeſtantiſſimos,Magniq. Petri uexillis, praetorioq. digniſſimos. quorum corpora, iuſſu Flauiae, Auſpicius,ſublata in nauiculã, Romam deportauit,obruitq. in praedio uirginis, uia Ardeatina, mille & quingentis paſſibus procul a moenibus, ad Petronillae tumulũ. Sed luctum uirginis, angoremq. cum praeſenſiſſent Maro, Victorianus,Eutychiusque extemplo ad eam nauigarũt, ac, ſolati dolorem, conſtantiſſime eſſe adhortantur, aſſidui in uigiliis & precibus; nec caritate, religione, aut obſequio erga uirginem Nereo,Archillaeoq. concedentes, inſignes pietate uiri, acerrimiq. deorum hoſtes, in Chriſtiana militia haud imbelles, molleſue. Interim Aurelianus ſpem capere, uirginem non diutius paſſuram ſolitudines & incommoda, atque exilij aerumnas, fatigare precibus,deos, ad puluinaria ſacrificare, uota nuncupare, offerre dona, haud miteſcente furore inter inanem ſpem, cogitationesque: cum ad eum defertur, recenti Chriſtianorum auxilio in Inſulam aduectorum, uirginem alacrius in incoepto permanere, maiora moliri, acriusq. aduerſus memoriam tori odium imbibere. Quibus auditis Aurelianus, acerbiſsime ſaucius, Maroni, Victoriano, & Eutychio breui perniciem molitur, eosq. de medio ſuſtulit: Nec terendum tempus ratus, ſtatuit inuitae uim inferre, & potiri non tam tori dignitate, quam ſponſae corpore, ſperans, inter amplexus, & oſcula exarſuram uirgini uenerem,& rediturum iuuentae calorem, & inſitam cupidinem. Sed in tam graui caſu non

in Vr-

in Vrbe ante Flauiorum imagines, oculoſq. Senatus, ſed Tarracinam nuptiale ſacrum, gaudiumq. deſtinat. Scribit Luxurio germano, ut omnia nuptialia inſtruméta domi habeat, utq. nobiliſsimas, & pulcherrimas quaſque municipales inuitet: ipſe eo muliebrem mundum, genialem torum, muſicos, greges ancillarum, ſeruorumque, ac pondera auri tranſmittit. Adſciſcit & in comitatum inter alios Seruilianũ, ac Sulpicium, optimae ſpei adoleſcentulos, ac nobiliſſimos, ſodalesque. Hi paucis ante diebus matrimonium cum duabus puellis, Theodora, & Euphroſyna, Flauiae aequalibus contraxerant: quarum induſtria uti ad labefactandam Flauiae pudicitiam, expugnandumq. propoſitum Aurelianus decreuit. rem cum earum ſponſis communicat: approbant illi ſententiam: ultroq. conſilium laudant; interq. Aureliani lacrymas, & promiſſa, illis negotium commendant. quae, ex Vrbe profectae, Tarracinam deueniunt, eo & paulo ante Flauia fuerat attracta, etſi multis iactata curarum fluctibus, moeſtaque, non tamen exulis ſpeciem praebens, aut a patria maieſtate degener. Vbi inter ſe ora, oculiq. occurſauere, ſtupor ingens ſpectantes inceſſit. uidere enim erat Flauiam in pullo ueſtitu incedentem, calcata maiorum gloria, uix priuatae feminae ſtatum repraeſentantẽ: ſodales e contra, inſigni pompa fulgentes, multa margarita, gemmaq. laſciuiente caeſarie, & purpura fluitante, inter inſignia ancillarum corpora, lectamq. pubem. maeror, & pudor pariter puellas occupauit, rupitq. prima ſilentium Euphroſyna, nõ iam pueriliter exorſa a matrimonij dignitate, ab auſpiciis a maiorum inſtitutis, a nobilitate generis & ſpe gentilium: ad extremum addens eius nomen dirius in Vrbe excipi, & cum ludibrio: ſimulq. eam ad ueteris uitae curriculum capeſſendum adhortatur. Sed Flauia, trabearum conculcatrix, deorumque, ac omnium cupiditatum uictrix,

excellentiſsimae uirtutis,maximiq. animi,ac ſapientiae, ridere puellarem eloquentiam, & retorquere in auctores ſtolide coniecta tela: oſtentat uolētibus aciem: & Chriſtiano Marte frangit rebelles puellarum animos, eodem uictoriae curſu Veneris trophaea deiiciens. Itaque reddita cuidam puellulae uoce, & Herodi Theodorae germano luce, utramque uirginem ad Chriſtum traxit cum multis ancillis. Igitur Theodora,& Euphroſyna, detractis collo monilibus, proiectis gemmis,& depoſito flammeo, proiectae ad Flauiae pedes, Chriſtum & Regem,& Deum fatentur. iam cupere cominus pro Chriſto pugnam capeſſere, & depugnare aduerſus Caeſares, generoſe Veneri iraſcuntur, damnantq. furta Iouis, & Deos, aemulae Flauiani ardoris, amorisq. in Chriſtum, atque Deiparam: illi caſtiſſimum ſacrarium in adytis pectoris ſtruere,& caſte fouere. Decurrunt interim ab Vrbe ſponſi, ignari rei, facti ue, laſciuientes, & iuueniliter ludentes, cum repente adeuntibus ſponſas fulſere uittatae comae, & nudata munditiis corpora, ac iuuenili apparatu. non ruentes in amplexum, miſcenteſq. dexteras,ſed ſtupidi adſtitere. Vix abrupto ſilentio, quaerere a ſponſis nouitatem rei, & ueſtium ſqualorem, ſimulq. ſilentium cōticentibus organis, ſilentibus feſcenninis carminibus, exploſo thalaſsio, diiſq. nuptiarum praeſidibus, ac numinibus patriis. Tunc Flauia illis rem aperuit. multum indignantibus, eius cauſſa inductam mundo orbitatem, & caelibatum, extremum malorum.ſi illa caſtitatem tam deperdite adamaret, tolerandum, unius feminae continentia non occaſurum orbem: at praeripere ſponſis gaudia, & alterius nuptias funeſtare, hoc iam improbiſsimum, & crudele aſſerere. Sed Flauia recenſitis Chriſti uirtutibus, commemoratoq. nouiſsimo die, quo hominum genus ante tribunal regnātis ſtaturum ſit ad formidabilem tubae ſonum, ingeſsit furentibus amore pectoribus

ribus metum: & Euphroſyna, ualidior machina, ut apud amantem ipſa amata, concelebrare Flauiae conſilium: & decreta ſaluberrima eſſe oſtendit: ſimulq. accerſitum Herodem, & puellulam antea mutam, ut dictum eſt, Sulpicio, Seruilianoq. oſtentat. Victa his impatientia iuuenum, & mente ad digniora ſublata, fatentur ambo Chriſtum, & religioni caſtitatem iungunt, ſummaq. Flauiae & ſodalium laetitia, Chriſtianorumq. omnium aſſenſu, a Iuliano, & Caeſareo baptizantur. At Aurelianus, diuturna amoris procella concuſſus, in elegantiſsima Flauiae ſpecie igneſcens, inter ſpem uoluptatum, & tori impatiens, ubi Tarracinam deuenit, inſtructo nuptiali apparatu, urgere Sulpicium, ac Seruilianum, rapere in uenerem, monſtratis uoluptatibus, prouoluere in eandem cupidinem, oſtẽtans noctem illam uoluptatum largitricem, & ſpectatricem amorum futuram: ſimul paribus animis, uotisq. paria conuenire gaudia in tergemino thalamo, in flore praetextatarum, uel fortunantibus, & pie inuidentibus diis, praefatus. Addebant feroci pectori ſtimulos, & ardorum uiolentiam ſponſae iraſcentis uicinitas inuite ceſſurae, & per cogitationes expetita toties facies, & auguſtiſsimum os procul culmine rerũ intra domeſticos lares. Sed Sulpicius, Seruilianusq. negant licere hoc ſibi per cõtinentiam ſponſarum, iam cum Flauia ſentientium: nec indomitam uirginis mentem in eius amorem, & cupidinem ullo pacto allici poſſe: induruiſſe iam, & exilij acerbitate ferociorem redditam: ſibi ſtatutum, ac fixum, non perturbare ſponſarum animos, nec cum inuitis eluctari: ui aduerſus uirginem uti, uel in hoſte ferum, immaneque, & maioribus abominabile: ferro corpora, & marte ſuperari, animum uinci non poſſe, ſuiq. iuris eſſe: & arceri procul uiolentiam in cupidinis regno: amantium arma, demiſsionem, blanditias, dona, lacrymas, & caritatem eſſe, & fore, in uiolentia acerbiſsi-

biſsimum quodque oriri, & cum paenitentia aggreſſorum, reſpondentes. Eludere dicentes Aurelianus, & imperitos amorum nuncupare, tenella pectora nondum facibus aduſta, nondũ pilo traiecta aſſerere, imberbes nondum amore perſtringi, ceſsiſſe lacrymulae ſpõſarum, ceſſiſſe gemitibus, nimium indulſiſſe non intellectis artibus dicere. uique non occulta uſurus, parat conuiuium, noctem opperitur, agit choreas, ſeq. acrius in uenerem inflammat. Virgo, ueſaniam uiri intelligens, in tanto diſcrimine, pauida erigit ad coeleſtia mentem, Chriſtum apprecatur, ut uotam ſibi caſtitatem tueretur; illi praeparaſſe thalamum, illi ſtrauiſſe; in priori certamine uictricem eius fauore euaſiſſe, non horruiſſe Caeſaris uultum, non iram, nec refugiſſe ſqualentem littoris faciem, non deſertas arenas, & truces murmurantis pelagi fragores; ſed iam grauius inſtare periculum; de caſtitate pugnandum, imbellem uirgunculam non ſtaturam aduerſus inferentis uim robuſtiſsimi iuuenis, & libidinis flamma ſuccenſi, procul penatibus, procul gentilibus, nudam & inermem praedatori expoſitam, praeciſo omni auxilio, in eo dumtaxat haerere ſpem, opem, & uictoriam, ſtare iugulum, ſtare pectus aduerſus mucrones, & flammas, dentesq. beſtiarum intrepidum, auidumq. diſcriminum, de uirginitate anxium non ſuauiter torqueri, ſed ſponſae iniurias ſponſi eſſe, & in ſponſum redundare ſimul & ultionem; iam ignominiam, & uictoriam aequa lance penſari, ſaeuoq. in certamine praeſtanda iam promiſſa, praeſtandumq. fauorem, multis cum lacrymis, ac gemitibus, religioſiſsime canebat, ſociantibus preces, uotaque Euphroſyna, & Theodora, turbaq. ſeruientium. moeror ingens, & funeſtum iuſtitium penates occuparant: ſponſae inter lacrymas, & preces uerſari: triſtari famuli: ingemiſcere ſodales. tripudiare dumtaxat Aurelianus, in moerore ſponſae gaudia ſua attollere, &

torui-

toruitatem uultus illius ad arcana noctis ultor differre in ſolatium ſui, praeteritorumq. angorum. ſed pro uirginitate Deus decertat, luctantibus expeditum exitium: nam, inter cantus, & organa, ceteris fatigatis, Aurelianus in iactu, rotatuq. corporis ſaltans biduo, noctibusq. duabus interclusa anima corruit, cõterrita familia, Chriſtumq. Deum fatente. Sed Luxurius, ſtrati germani luctu & uirginum triumpho, in tanto intuentium pauore, Chriſtianiq. nominis miraculo, in immanem rabiem, & praeproperam ulciſcendi libidinẽ incitatus, Flauiae impacatior, cuius peruicacia ſpretum familiae decus, & extinctum fratrem intelligebat, tractis in ſententiam nobiliſsimis iuuenibus, cum dedecore deorum, ac Caeſarum, magnaq. cruciatus inuidia ad Vrbem decurrit, magiſtratus adit, Auguſtum, regemq. ſacrorum deprecatur, laeſa numina, conculcata iura, ſpreta Auguſtorum numina, iniectum pubi nefariis artibus, & magico carmine furorem, cum exitio fratris, inſignis indolis, nobilitatiſque: ouare iam Chriſtianos inter ſpolia Iouis, & ludibria Martis: cuncta iam ad Chriſtum ſpectare, & tranſire ad eius iuſſa populorum agmina: hebeſcere econtra cultum Deorum, ſqualere iam ſine uictima aras, ſine honore ceſpitem, ſine thure ſimulacra penatium commemorat. His Auguſtus non ignauiter acceptis, intentusq. ad curam Reipublicae, cuius ſtatum in ueteribus Deorum caerimonĳs firmandum cẽſebat, ex arcanis imperij, ac Reip. ſimulque peregrina religione mutationem rerum portendi, & turbine eodem non ſacra ueterum modo, uerum ipſam Remp. euulſum iri credens, arma in Chriſtum parat, ſtringit in cultores ferrum, uetat dari thura, & hetaerias fieri. intra primordia maieſtatis relato inter Diuos genitore parta iam pietatis fama, firmatoq. dominatu uenerationem apud ſuos, hoſteſq. quaerens, inſaturatae uir ambitionis, nec intra ſaga infan-

fan-

ſandos puerorum amores, & ſecreta libidinum, ſitimq. uini oblitus. At Luxurius accuſatos impietatis Sulpicium, & Seruilianũ Aniano Vrbis Praefecto cruciandos tradidit: qui, conſtantiſsime in confeſsione Chriſtiani nominis perſiſtentes, capite plectuntur, tumulanturq. uia Latina, duobus millibus paſſuum ab Vrbe. Quibus caeſis, Luxurius, gaudio triumphans, fratri parat inferias, Tarracinam accurrit: uirgines unanimi conſenſu, & ſocietate armatas intentato mortis metu territat: iubet uenerari Deos, & ſequi maiorum ueſtigia. Sed uirgines duce Flauia fortiores in ipſo minarum terrore ſpreuere furioſi hominis uoces, qui, tamquam in hoſtico ſupellectilem depraedatus, incluſas cubiculo, proſtratasque in preces ſubiecto igne concremauit Nonis Maij. Expirauere laetae, ridenteſque, nihil motae, ne ueſtibus quidem ambuſtis. dormientes dixiſſes, non extinctas. Altera die accedens Caeſarius, inſignis ſanctitatis, & ipſe martyrij gloria praefulgens, ac Chriſti miles non imbellis, earum corpora ſublata honorifice tumulauit. Et reuera felicem diu Tarracinam in aceruis ſaxorum, buſtoq. ueteris coloniae tanto pignore exiſtimabam, cum mihi haec pie ſcribenti, uoluentique affulſit Flauiae lucis ſplendor in S. Hadriani ad forum aede pietate Auguſtini Cardinalis Cuſani purgata ruderibus, atque exornata, reperto illius corpore, medio inter Nereum, & Archillaeum, fortaſſe mirantis, & generoſe (quantum iraſci caeleſtibus fas ſit in ſumma pietate) indignantis patriam ſuam ad tantam animi magnitudinem, triumphorumq. ſplendorem turpi ſilentio, & ingrata memoria ſiluiſſe, ne ſignato quidem ſaxo, aut erecto tumulo, procubantibus in inuictiſsimae decus ad ima Caeſaribus, & Capitolio in pauore, ac ludibrio Palladis, Iouisq. ſupplicante uel ad ſtuporem hominum, caelitumque. Sed, quia nõ ſatis erat tantae uirginis magnitu-

gnitudini, ac ſanctitati oſtentatum eſſe gentibus corpus, & ſacrata pignora, niſi religioſiſſimo ſaeculo noſtro ſub Clemente IIX. inſtauratore ſacrarum aedium, & priſci moris, ac pietatis imitatore, circumferrētur triumphali pompa per Vrbem, ſtabilem, nec indecoram ſedem nacta. ſiquidem Caeſar Baronius, nobilis Eccleſiaſticorum annalium ſcriptor, a Clemente allectus in Cardinalium Senatum, cum ſortitus eſſet Sanctorum Nerei, Archillaeique titulum, dignum diſciplina, ac moribus, & religione ſua exiſtimauit, primordia dignitatis a caeleſtium cultu auſpicari. lababat ruina aedes illa SS. Nerei, atque Achillaei, ad Appiam uiam (ubi Flauiorum (ut fertur) quondam domus, penatesq. frequentabantur) & obſita ſqualore, ac uirgultis ſub dio enatis, uaepribusque deformis, priorum temporum calamitatem monſtrabat, conuulnerata ſuperiorum Principum memoria, nihil tale (quod maxime decet rectores terrarum) meditantium, celebris olim famae, nec uetuſtati ignota, Magni Gregorij adſpectu, uoceque nobilitata, Sixtus IV. nutantem aeui iniuria inſtaurarat, ueterum aemulus, nec intra ſaepta ferocium ſpirituum mitigator, extenta ad ardua quaeque cupiditate, uel intra ſaga. igitur ruderibus auectis, pariete depicto, & altari quattuor columnis adornato, V. Id. Maij, CIↃ IↃ XCVII. indicta amplisſima ſupplicatione praefertur pōpa triumphi. Sacerdotum humeris ſacra pignora circumferuntur. comitantur collegia ciuitatis, ordinum Principes, religioſorum familiae, ac Praeſulum manus luminibus accenſis, dependente a parietibus periſtromate, ſericoque apparatu, erectis etiam in circuitu crebris altaribus, uel praeſignatis ueterum Auguſtorum fornicibus, noua tituli magnitudine, in decus, famamq. uictricis, uel gemente Apella, id quoque poſteris caelare indignum diligenti ſcriptore exiſtimo, Flauiorum cineribus ſe adhuc

H

huc urgeri ad lugenda uetuſta excidia, aeternique mala
ſeruitij compulſum ad exornandas plateas aere proprio
ad hoſtilis nominis claritudinem. itur a Sancti Hadriani
aede, per Tullianum carcerem, & per ima Capitolinae
arcis, perque buſta C. Poblicij, extra ueterem Flami-
niam, ſiniſtrorſum ad Marciana palatia: hinc ante Ie-
ſu templum, Alexandri Farneſij Cardinalis clariſſimum
pietatis, ac magnificentiae monumentum, in Ca-
pitolium, & per L. Septimij Seueri, Flauio-
rumque arcus, ac Magni Conſtantini in
Sacra uia ad ipſam ſanctorum fra-
trum aedem, ubi Baronius
cum aliquot Cardina-
libus praeſtolaba-
tur, proceſ-
ſitque
ob-
uiam ſacris pignoribus. con-
dita ſub ara maxi-
ma aſſeruan
tur.

S. CAECILIA III.

NObile Caeciliae nomen, & natum ad iura ſolum ſupplicãtibus terris annuere non obſcure uidentur Metellae cognomen, fortunatamque in Republica ſobolem, licet incuria ſcriptorum poſteris nõ prodatur rerum geſtarum magnitudine offuſorum, cantuque certaminum. poſt aeterna Flauiorum trophaea, iam tantae uictricis fama, & praeconia celebrentur, trepidanti ad tam grande molimentum ingenio, affuturae caeleſti fauore. Aedes Caeciliae trans Tiberim inter pontem Sublicium, & Horatij Coclitis, cuius adhuc hodie ueſtigia exſtant, uiſitur, ipſius Virginis nomini dicata. A prima aetate Chriſtianam religionem profeſſa Imperatoris gloriam mire auxit, ſpretis patriis Diis, ac ritibus, cõſecrata etiam Chriſto uirginitate, cuius poſt religionem prima in femina gloria eſt. aſſidue Chriſti res geſtas perlegebat, abiectis Poetarum libris, ne mens inter laſciuiam, & turpia pollueretur. amatorij uerſus, & fabulae, ſi legantur a uirgine, nõ dubie quatitur caſtitas, excitatis igniculis ſub pudoris cineribus deliteſcentibus. Euangelium, ac ſacrarum hiſtoriarum libros ſemper in pectore, ſinuque geſtabat, ut, ſi flamma libidinis, & iactantia, faſtusque irreperent, oſtentata acie, eductiſque auxiliis conciderent. quae ex ſacris paginis hauſerat, imitatione implebat:

fru-

fruſtra enim fatigantur oculi, tempuſque teritur, niſi a-
nimus lectione ad meliorem frugem deducatur, incite-
turque ad uirtutem. Ieiunio fatigare membra, ac preme-
re iuuentae florem, cilicio interna affligere, cubare hu-
mi. nudum marmor, & perexiguum illi pro ſtrato, ſub-
leuare inopiam egentiũ Chriſtianorum. interim, iam nu-
bilis, procurantibus gentilibus, Valeriano, primae nobili
tatis iuueni, uel inuita, & coacta iungitur: quae minime
animo conſternata geminatas preces effundere, quam
demiſſiſſime ardentiſsimeque florem uirginitatis Deo
commendare, interque organi ſonitum ipſa Deo haec
„ canere: Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar.
uaria pugna, & dira lucta excitata inter ſpẽ, metumque,
rurſus in diuini tota ſpem auxilij inclinare. nec fugiebat
eam ingentis gloriae, famaeque illam eſſe lauream, quae
per diſcrimina, & cruciatus quaereretur, & diuinum fa-
uorem abeſſe aliquando, quo affluentius ſecum omnia
trahat. ſic Aſſyrico cingendam uallo Bethuliam permiſ-
ſam: ſic uiduali etiam lacerto ſuſtentatam cum dedeco-
re Euphratis. Hieroſolyma tantum dilecta ſuperis, non
raro obiecta diſcriminibus, & ſedibus auulſa uel a Ma-
reotide aduena excito, aut Tygride in plana ſuffuſo, aut
minitante Oronte, & paullo poſt ſuperni ardore fulminis
obſeſſore ambuſto priſtinae aſſerta maieſtati, & gloriae,
amorem deprehendi in laboribus. ſic ſe corripi a Chri-
ſto, ſic quoque ereptum iri ex daemonum faucibus, at-
que ex corporis ludibriis pie exiſtimabat. Sed ſponſus,
Caeciliae pulchritudine non mite ſaucius, urgere diem,
accelerare nuptias, uirginis gentiles prece quatere, im-
pellere cunctantes, faſſus uim furoris, & affixa pectori
tela. Ceſſum iuſtis precibus, captata ad Orientem ſolem
auguria, tacta ad limen aqua, ignisque, nupta uelata
flammeo, in recta tunica, puraque toga ſubter occulta-
ta uerbenae corona, caelibari haſta. mollito, ſparſo,
turbi-

turbinatoque crine, ter paternam ante domum circumlata in gyrum, praeeunteque tibicinae thalaſſium occinente, & accenſas praeferentibus auſpicibus faces, toſtumque far, aedium limina uiri lupino, porcinoque adipe illita foribus lana, lauroque ueſtitis, tacta lino, ſaltu illata penatibus ſponſa, epithalamium, & feſcennina carmina, multo muſicorũ ingenio celebrata, cantataque, propitiata nubentibus Romana numina Iuppiter, Iuno, Dianá, Suadela, Venus. infanda omnia Caeciliae uiſa. uix retentis ira, & lacrymis, ducitur deinde in cubiculum ad genialem torum gemina fulgentẽ ſtragula, quinque coruſcantibus cereis aedilicia manu accenſis, inter matronarum dicta, nuptialis noctis haud arcana reticentium, iactantiumque ſecreta tori, & uoluptatum, excluſis omnibus, nacta ſilẽtium uirgo, opportunitatẽque, aui de ſoluendam ad ceſtum proruentem uirum ſic affatur: Magna mihi res eſt, cariſſime, atque amantiſſime adoleſcens, magnumque pectori arcanum inſidet, quod apertura ſum tibi, ut ſuadent coniugalia pignora, & ut Romanam cum Romano decet, ſi me celatam hos inter noctis horrores, ſpirantesque maiorum uultus, ſimul & ſidera tanti dumtaxat conſcia ſecreti uis: aſſerẽte ſilentium iuuene, Caecilia, magni in Dei, inquit, ſum tutela, uallorque caeleſtis Angeli fulmine. is me teneris ab annis, & ab ipſis cunis uel inter lactis hauſtum cuſtodiuit, tantoque ſtudio uirginitatem tuetur meam, ut, ſi te laſciuo amore flammatum, prurientemque in amplexus, & obſcena intellexerit, haud incerte florentis aetatis tuae annos, ipſumque iuuentae decentiſſimum florem contundet, & lugubri euentu initia thalami funeſtabit. At, ſi me caſto amplexantem amore, nec uirginitatem temerantem meam uiderit, eadem qua me beneuolentia te quoque proſequetur, largoſque tibi fauores impertiet. Nullum felix aduerſus ſuperos bellum. demiſſione, & caſtitate

ſtitate

ſtitate mitigantur. Tunc Valerianus, iniecto libidini freno, & pulſa procul Venere: Si uis, reſpondet, amantiſſima coniux fidem rebus a te memoratis meam addici plenam, da operam, ut ipſe quoque Angelum uideam. non ſaepe erratur in uiſu. Quod ſi te alterius obtineri amore (auertāt id Iuppiter, penatesque dij) ſi id ſuſpicor igno ſce (amantis eſt formidare) ſenſerim, utrumque ultore ferro proſternam, & ſcelerata corpora hac dextra nudabo ſpiritibus. uterque ſuo malo didicerit, quantum iuuenili in pectore uiolati thalami ultio, rabiesque audaciae, ac roboris exſuſcitent. nemo inter obſcena, & uenerem ſanguini noſtro illuſit: nemo ſtratae puellarum pudicitiae trophaea iactauit: nec gloriabitur in Valeriani toro Romanam inter pubem non ignoti tot circum aſtātibus, uidentibusque maiorum manibus. Tunc Virgo: Procul iſta ſuſpicio, metuſue. non haec Caeciliae mores noſcūt, ſi propter Deum Valerianus non placet, quis placebit? Fruſtra blandiuntur ceteri, ſi aduerſus Valeriani effulgentiſſimum nomen, ac pulchritudinem ſtamus. Non erit difficile, praecellens adoleſcens, his oculis Angelicā haurire figuram. ſi mea conſilia non ſpreueris. dira ſacra, infauſtaque thura, quibus Romana templa fumant, abijciunda ſunt tibi, auertendusque animus a ferali ſuperſtitione: Chriſtus eſt tibi pie colendus, eique dumtaxat ſacrificandum, non ſtratis uictimis, aut madefactis aris, ſed ſubmiſſione, & pietate. Nemo Angelico, Valeriane mi, frui poteſt adſpectu, niſi ſacro expiatus lauacro, eiectis gentiliū opinionibus, abſterſisq. incredulitatis ſordibus. certum in fide praemium. Tunc Valerianus: Quis me ſalutari abluerit aqua, quis ſordes eluerit? Et ſponſa: Munus id ſeni cuidam caelitus mandatum eſt: ipſe haud incurioſe tam ſacrum implet officium. Et Valerianus, ardens cupidine, & arcani auidus deprehendendi, Spiritu iam ſancto in eum flante, Caeciliae propitiato precibus,

qua,

qua, repetit, in parte quaerendus hic ſenex? Et Virgo: Tertio lapide Romanis a moenibus abeſt ad Appiam uiã. ibi expoſcentes ſtipem egenos inuenies, quos ipſa ſemper foui, non ignaros ſecretorum meorum. quibus pecuniam elargiens, meo nomine dixeris, miſſum te a me ad Vrbanum Pontificem, uelle alloqui hominem, quẽ poſtea omni de re, ſucceſſuque docueris. is ſacro te baptiſmate abluet, fulgentibusque induet ueſtibus. Reuerſus poſtea cum Angelo me reperies loquentem, qui tibi, ac mihi familiaris exſiſtet, & omniũ, quae in uotis habebis, haud difficulter te compotem faciet. Valerianus, noctem eam percupide, impatienterque opperiens lucem, nixis genibus cum Caecilia tranſegit inſomnem, multa ſpectans, uoluensque animo, uetera nunc ſacra Deum, uetuſtiſſima Pontificum decreta, populi Romani tot per aeua intemeratas religiones, auſpicia, fulminum expiationem, & Etruſcae diſciplinae libros, quaeque ſui tot annorum curſibus pie coluiſſent, agitare, modo nouae nuptae arcana, & myſteria, illius prudentiam, ac ſalutaria conſilia perpendere, ſaepe inter precandum illam contemplari mortali auguſtiorem: & fulgore uultus, & ſanctitate attonitus, diluceſcente iam aurora feſtinus relicta in cubiculo ſponſa per Capenã Vrbe egreſſus ad Vrbanum contendit. Hic Pontiani filius & ipſe Romanus Calixto primo ſucceſſerat, urgentibuſque crudeliſſimis Caeſarum edictis nouiſſime per L. Septimium Seuerum, filiosque renouatis aduerſus nos, incentore Domitio Vlpiano Iureconſulto, Praefecto Praetorij, acerrimo Chriſtianorũ hoſte, uel ſub mitiſſimo, ac moderatiſſimo Principe, & ſacra noſtra noſcẽte, inter martyrũ ſepulturas deliteſcebat, homo multa eruditione excellens, uitae ſanctitate illuſtris, ſenecta, ac canitie uerendus. qui edoctus de Caeciliae rebus, hilaris, laetusque in genua proſtratus, ſublatis ad caelum manibus, magna lacrymarum

ui profuſa, Domine Ieſu Chriſte, inquit, humani generis Saluator, & rector, caſtorum ſator conſiliorum, ſeminum iam fructibus, quae Caeciliae in uotis, pietateq. ſeuiſti, fruere. haec praeclara ancilla uelut apis ſollicite tibi eſt famulata. quē enim indomitae audaciae, furoriſq. ueluti leonem accepit ſponſum, ad te, emuncto uigore, expulſaque rabie mitiſſimum, placidumque ueluti agnū deſtinat. His dictis eximia iuuenis forma, fulgentiſsimis indutus ueſtibus, manu librum aureis exaratum notis geſtans, illorum ſe oculis obiecit. pauor ingens Valeriano ex diuino inuſitatoque ſplendore iniectus ſtrato humi, & diuini dextera iuuenis alleuato, legendus porrigitur li-
» ber, in quo haec ſcripta fulgebant. Vnus Deus, una Fi-
» des, unum Baptiſma, Vnus Deus, & Pater omnium, qui
» eſt ſuper omnia, & in omnibus. Amen. Quae cum perlegiſſet Valerianus, interrogatus ab Angelo, num his fidē haberet. quae cum certiſsima & ueriſſima eſſe reſpondiſſet, Angelus euanuit. Tunc Vrbanus currentem per ſe iuuenem acrius ad Chriſti capeſſenda incitat imperata, aperit arcana myſteriorum, mox e ſacro fonte ſublatum dato oſculo, oſtentatumque ceteris Chriſtianis ad ſolatium languentium, pauentiumque, & ad ueteranorum incitamentum feliciter apprecatus, ad ſponſam dimittit. Valerianus oſtento laetus, & tacito gaudio perfuſus, properat ad Caeciliam, ingreſſuſque cubiculum, eam cum Angelo loquentem deprehendit induto candidiſſimis ueſtimentis, & perlucide ornato, geminam manu coronam tenente ex uariatis lilijs, roſiſque contextam. ingens ſtatim naribus afflatus odor, & ſuauitas: Meriabam eo cubiculo contineri dixiſſes. Tunc Angelus coronam alteram Valeriano tradidit, alteram Caeciliae, inquiēs, Has caſto corpore, mentibuſque coronas tuemini e caelo auectas. id uobis pro ſigno erit, neque uetuſtate flaceſcent, nec ſpoliabuntur ſuauitate, uobis non niſi conſpectae;

ctae, & quibus caelibatus cordi fuerit: & tu, Valeriane, quoniam ſalutaria Caeciliae monita in pectus demiſiſti, quidquid in uotis tibi eſt petito. aequum quippe eſt tantam pietatem ſingulari aliquo beneficio poſteris teſtatam eſſe. Et Valerianus, ſordeſcentibus iam illi terris ad ſuperna elatus, fratris ſalutem & cōſortium deprecatur. magnus hominis amor erga fratrem erat, & mira beneuolentía, concordia inter ipſos tanta, ut nihil felicius, optatiusque, praeſertim in tanta fortunarum ubertate, & in ea Vrbe, in qua Quirinus auguſtorum fundator murorum ipſa cunabula fraterno cruore defoedarat. Iuſta ſuperis, & digna petitio uiſa, & haud difficulter impleta. Vix namque terminatis alloquiis, abeunte iam Angelo ſuperuenit Tiburtius, Valeriani frater, & ipſe iuuenis egregiae indolis, gratulaturus germano, cognataeque, ominaturusque felicem, perennemque ſobolem ex optatiſſimo, ſplendidiſſimoque connubio. intrantem cubiculum mira extemplo odoris ſuauitas occupat, & ſtupor, omnem naturae uim ipſa inuſitata odoris fragrantia exſuperante. prolata uox ſciſcitantis cauſſam, & arcanum. Tunc Valerianus: Quem naribus frater iam captas odorē, precationibus datum eſt noſtris. ſi ueritati applicaueris animum, & fateri ueram religionem, & certiſsima ſacra uolueris, nec liliorum, nec roſarum adſpectus, tactusue negabitur. gemina inſignimur corona e caelo nobis miſſa, quam intueri tibi fas non eſt. Tunc Tiburtius: Somnia ne agitamus, an uera tu faris? Et Valerianus: Hucuſque torpore fuimus diro, funeſtoque ſopiti, curuatis ante ido lorum aras, ſignaque genibus: Heliogabalo non raro dedimus thura, necnon & Ioui, Martique infauſte libauimus: ſaepe Palladis, Iunonis, Veneris, ac Dianae nomina inuocauimus: quoties inter orgia procaciter luſimus? nulla a Romanis Dijs ſalus ſperari poteſt, nulla medicina: unus eſt Deus, qui, quae uoluit, fecit omnia, cuius

cuncta parent imperio. Et Tiburtius, uehementer fratris ſermonem admirans, Vnde germane iſta doctrina? quae tam noua philoſophia? Et Valerianus: Haud inania loquimur. Angelus, Dei benignitate, precibusque Caeciliae meae, hac nos doctrina imbuit. ille praeclari auctor dogmatis, & magiſter nobis exſtitit, nec arcebitur tuis ab oculis, ſi Chriſtiana ad ſacra deſcenderis. Tunc Tiburtius: Cur iſta uidendi Angeli mora inijcitur? cur ipſe retardor? Quis me Chriſtianis inſtruet praeceptis, ut optati compos uoti fiam? Et Valerianus: Spondes ne, frater, abdicare numinum cultum, patria ſpernere idola, affixoque Chriſto cruci, proque nobis mactato adhaerere? Et Tiburtius: Quae iſtae ambages? tua quo tendit oratio? quis finis ſpectatur? Tunc Caecilia mirari ſe uehementer dixit, quod tam excellens ingenium, & non mediocrem ſapientiam idolorum fugerent figmenta, & ariolorum fabulae, ac Numae doctrina cum augurum libris, cum nullum Romanos inter deos, mortuosque diſcrimen interſit. Mortali illos ueſtiri manu, egere hominum adminiculis, ac nullius per ſe eſſe momenti, in his potius effingendis Polycleti, Lyſippi, Myronis, ac Praxitelis, Scopae, Ageſandri, Polydori, Athenodori, Crateri, ac Pythodori, Artemonis, Phidiaeque, ac in pingendis Apellis, Zeuxidis, Parrhaſij, Apollodori, Timantis, Androcydis, Eupompi, Therimachij, Protogenis, Myconis, ac Polygnoti ingenia celebrari, attollique, quam ipſorum numina, quibus ſpoliati miſeri ipſi iacent, nec cultores ſuos poſſunt beneficio afficere. cerni exſtructas aras, & alte ſublata delubra auro, gemmaque inſignita, uarijs diſtincta ſignis, quibuſnam? Furijs, Nocti, Pauori, Termino, ceteriſque portentis. infauſta profecto ſacra, & nefaria. Excelluiſſe quidem maiores rerum geſtarum gloria, & magnitudine proeliorum, & bellicis artibus: at ſuccubuiſſe deuictarum ſuperſtitionibus gentiũ:

uictos

uictos deos ab his receptos in domos, in adyta eaſdem tractas furias, & faces, quibus priores domini, ac famuli miſerabiliter conflagrarant. Accerſitam Peſſinunte Cybelem, at ea defendente iacuiſſe Troiam, arſiſſeque, adſcriptum ſaxo numen, celebratum Q. Claudiae Veſtalis factum, creditumque apud miſeros benignitate Cybelis uectas feliciter noſtras in Africam legiones, pulſum Italia Hannibalem, Zamēſia arua Poenorum tepuiſſe cruore, triumphaſſe Scipionem, exſcandiſſe Capitolia, Ioui immolaſſe cuſtodi & tamen eiuſdem Capitolij fauillas ab Ioue cum matre uiſas, globosque cinerum, ſeipſum ardentem, ſemiuſtulatum, eiectum ſede, profugum, & egentem humana ope conſpexiſſe. Cur non reſtinctos ignes, repulſa tela, & frenatam inuadentium audaciam ipſius numine? Mergi Almone Deorum matrem, feſta celebrari, inter orgia, & lupercalia ſtrato pudore decurri, & haec placere dijs? Canes, Ibin, Bouem, & alia impura animalia conciliata aetheri gentilium uanitate ſedere in concilio Iouis, comprimi puellas, uolutari per ſtupra, & adulteria, libidinem iuſſu numinum expleri in ipſis aris, aut ſedente in tripode puella per obſcena intrante aura, utero tumefacto in iactatione corporis, ore ſpumanti enuntiari arcana, & patefieri myſteria, & hoc glorioſum dijs, & dignum numine, id maioribus diuinū uiſum, & in hoc diuinitatem locatam? dedecere iſta uirginem, & uirginis linguam: nec falſis addictos religionibus animos: eſſe iſta curae ariolis, & Etruſcis, genti ſuperſtitioſiſſimae, atque uaniſſimae: aliud Chriſtianis cordi eſſe, alio illos magiſtro uti, alio doctore: certioribus animum inſiſtere, & mentes ad aeterna directas: ſapere iam ipſum debere intellectis erroribus: ualere ingenio, ualere prudentia, facile uolenti cognitionem rei eſſe: quod frater eſſet amplexus, ipſe ne ſperneret: capeſſendam occaſionem dum ſe offert, fugientem fruſtra perquiri:

ri: inſtare mortem,& intumeſcente mari, tempeſtatéque minante,confugiundum ad portum: naufragantium plerumque mare inſepultam ſepulturam eſſe: unam ſalutem mortalibus eſſe,Chriſto adhaerere,Deumque non incerte fateri aſſuerat. Tunc Tiburtius:Qui animo iſta reſpuit, uere brutorum imitatur ingenium, nec utitur ratione. Equidem unum Deum Ieſum Chriſtum fateor, illique a me cultum exhibitum iri confirmo. Tunc Caecilia,complexa,exoſculataque Tiburtij caput,non ſine ingẽti gaudio, Hodie, inquit, fateor te meum eſſe cognatũ,quando gentilium ſuperſtitionem Chriſti depulit cum pietate fauor. Perge igitur cum fratre ad ſacrum ſuſcipiendum baptiſma,ut abſterſis maculis Angelico fruaris adſpectu. Tunc Tiburtius ad fratrem uerſus: Quo me ducturus es, germane?Et Valerianus, Ad Vrbanum,repetit, ſanctiſſimum Antiſtitem, inter cineres, & oſſa martyrum deliteſcentem. Et Tiburtius, Ille ne Vrbanus, quem ſedere in faſtigio religionis Chriſtianae dicunt? Eius caput diu in ſupplicium expoſcitur tot Auguſti edictis, ſi deuenerit in ſcrutantium manus,rabiemque,Gemonias abſque dubio, euentuque triſti adſpexerit, ſocios pari poena comitante. Vidimus cruentos gladios, & infauſtas cruces, laniata cadentium membra in toruitate oculorum,& minaci Praefecti Praetorio adſpectu. quid iacuit cum Phoe nice portento Semiamira? nec tamen caret Orci aedes ſuetis funeribus, leſſuque. ergo Heliogabali infauſtiſſimis radijs uictimae erimus? placentur Syriaca monſtra Romano ſanguine inter lati claui ſplendorem, & ornamenta maiorum? Tunc Caecilia: Metuenda profecto iſta poena, nec danda in diſcrimen praeſens aura foret, niſi ſempiterna alia daretur uita:fluxa hæc, & repentina; illa beata, & perennis, qua aut diriſſime uiuendum, aut glorioſiſſime triumphandum. Et Tiburtius: Ignota mihi penitus iſta philoſophia, nec aliã dari uitam, lucẽque

umquam

umquam audiui. Et uirgo: Epicureorum eſt iſta opinio, & exploſa ſapientum gymnaſijs: neque enim id ſunt inficiati Academici, & clare quoque tenuerunt Peripatetici, & ſummus Oratorum in libris de Repub. non incerte teſtatur: nobis profecto ſacratioribus arcanis deditis ſatis conſtat, animas immortales eſſe, uicturas tamen diſpari condicione: inhumane quippe nobiſcum actum eſſet a ſummo rerum conditore, ſi belluarum more proflata anima, omnis ab interitu ſenſus exſtingueretur: non inepte uel a Poetis (quorum ſtudium plerumque laſciuiis & amoribus damnatur) ficta ſuppliciorum loca, deſcriptae poenae, & Regia ipſa Inferorum, campique Elyſij fuere. Sed, dum praeclare ſcriptis ſapiunt, moribus turpiſsime errant. nec tam multi ex noſtris, & Graecis, barbarisque ſibi conſciſcenda impie nece hiſce miſeriis, & luci eriperent, niſi aliquam animis requiem poſt occaſum crederent, ſperarentue. Sed, dum medicina excedit modum, nec ſalus acquiritur, in ſcelere nulla felicitas. Tunc Tiburtius: Quis umquam ex inferis exſiſtens talia enarrauit? quis uidit, quis legit oculis? Noſcendi non exigua cupiditate accendor. Et uirgo, ait, a patre nullis initiis, nulloque fine rerum omnium Architecto, molitoreque, priuſquam globi caeleſtium orbiũ fierent, ſtaretque tellus, & extrema lauarent aquae, genitum filium aequali poteſtate, ab ſe, filioque productum Spiritum Sanctum, a filio cum Patre ſtatuta omnia, uiuificãte, Spiritu Sancto ab utroque procedente. Tunc Tiburtius: Hactenus unum colendum dixiſti Deum ſupra aſtra regnantem, deſpicientemque terras: tergeminũ nunc proponis: pugnat oratio. Tunc uirgo, effuſa in Trinitatis myſteria, multa eloquentia, & magno ardore pellit incredulitatem, effugat ancipitia. Et Tiburtius, diuinam in uirgine ſpeciem, caeleſtemque admiratus eloquentiam, genibus eius affuſus, demiſſe gratias agit, quod breui ſer-

mone

mone expuliſſet ex animo de trino Deo dubitationem. Virgo erectum iuuenem iterũ oratione inflammare, iterum mulcere. Sed Tiburtius, Valerianum reſpectans, ait, de cetero ſatisfactum ſibi eſſe, haerere tamen pectori ſcrupulum non mediocrem de his, qui alia in patria poſt fata traducunt aeuum, num aliquis ex eo loco ad uiuentes certum aliquid attulerit. Sed cognata, praerupto alterius cum fratre ſermone, quem rudem fortaſſe intelligebat, nec adhuc ſiſtendum in proelio uti tironem, ſic Tiburtium eſt allocuta: Mortuorum anaſtaſis, Tiburti, diuinae argumentum omnipotentiae, Sibyllarum uaticinio, Apoſtolorum praedicatione, prophetis teſtibus, fidelium omnium conſenſu, poſtremis tamen temporibus, ſoliſque orbis terrae funeribus reſeruatur. Sic enim ſtatutum a Deo eſt, ut poſt mundi totius conflagrationem, poſt ignem e caelo demiſſum, diſſoluta compagine molis huius, & redacto in puluerem mortis orbe terrarum, ad Archangeli uocem, ad nouiſſimam tubam, mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgant primi, & quae in monumentis delituerant corpora tabo, & uetuſtate conſumpta flante ſpiritu, quo uiuunt, omnia rurſus uitalem animam trahant, & rediuiua fecunditate reſurgant. hinc rarus ad nos reditus mortuorum ante orbis interitum. Tria namque ſunt in praeſenti uiuentium receptacula poſt funus: Primum, ubi noxiorum animi detinentur, perpetuas luituri ſcelerum poenas, inter feruentia anhelantis gurgitis ſtagna, interque perennes gemitus, ac lacrymas depaſcente culpas igne, nec eluente, ut numquam deficiat pabulum ſaeuientibus flammis, numquam perueniatur ad poenarum, aerumnarumque metam fugiunte termino malorum. ex his ſpecubus nulla impiis egrediendi facultas datur: haec loci natura: haec condicio carceris eſt: hoc diuinum poſtulat, ſancitque decretum, ut ſemel ingreſſi aditu prohibeantur ad ſuperos uectibus coerciti

ſem-

ſempiternis. In aliis duobus iuſtorum animae cõmorantur, quae uel luſtralibus expiantur ardoribus ad gloriam, uel gloria iam fruuntur perbeata, utrumque permittente Déo, ad mortales reditus datur, rarotamen, ne fidei ſubtrahatur materia iis, quae non apparent, inhaerenti, neue coronae uictoribus, ac credentibus minuantur. Iuſti quippe, Tiburti, non oculis, ſed ſpe ducuntur, non ſenſu, ſed fide uiuunt. Ceterum nec ſuſcitantis poteſtas, nec reſurgẽtium ueritas in dubium uerti poteſt. poteſtas diuina eſt, cui ad nutum obediunt omnia, quae qua facilitate uniuerſa ex nihilo condidit, eadem, quae fuerunt, aliquando reſtituet. produxit, quod non erat; non eriget, quod conciderat? intuere propemodum omnia, quae in hac uniuerſitate naſcuntur, & occidunt, ut praeeunte exemplo rerum ipſarum futurae ſpem anaſtaſis cõcipias. fige obtutum in hoc caelum: Sol ibi decidit, & reſurgit: quidquid ſiderum eſt, uide, labuntur, & redeunt: adſpice camporum planities, & ueris tempore purpureſcentes agros: flores in illis intereunt, & reuiuiſcũt: arbores poſt ſenium frondeſcunt: ſemina corrupta uireſcunt, diſperſa coeunt, abſumpta reparantur. ita in ſpei ſolatium noſtrae ipſa rerum natura quandam reſurrectionem meditatur certis ſucceſſionum uicibus, ac ſerie generationum. Iam uero reſurgẽtium ueritas & ueterum praeconiis uatum, & ſacris teſtata litteris habetur: neque enim ex illis nos ſumus, qui ad adſtruẽdam dictis ſuis fidem, fictas hiſtorias proſequuntur Gabieni, Tuberonis, Auiolae, aut ex poetarum cõmentis adducunt in medium Pyrithoum neſcio quem, & Theſeum, Herculem, Aeneamque Romanae gentis originem, ex inferis ad nos ſedibus reduces, poſt diuturna ſpatia, quaſi ex longinqua peregrinatione remeantes. blanditiae ſunt iſtae theatrales, & fabricata ſub ueri ſpecie ficta concinnitate mendacia ex Graeculorum loquacitate, ac fabulis. Vnum nos addu-

cemus ex multis Chriſtum Ieſum, immortalis Dei filium, & primogenitum mortuorum, qui poſt fractos uoluntaria morte inimicorum impetus, poſt deletam humani generis labem, poſt opima inferorum ſpolia uirtute ſua nobis reſtitutus & luci, Iudicisque donatus inſignibus, docuit, diem illum, quem tamquam extremum reformidamus, aeternae felicitatis, ueraeque gloriae allaturum primordia. quid mirum? pater eſt futuri ſaeculi, & princeps pacis, qui, profuſa pro nobis uita, omnium noſtrorum mortem affixit cruci, imperioque eius deleto, exterminatoque, e tumulo ſurgens, ad argumentũ uitae uiuentes terruit ſepulcri cuſtodes, ſpirantes ſtrauit mortis ſatellites, mox regnum perennis uitae ſtabiliuit nullis umquam ruiturum caſibus, nullis interiturum ſaeculis. His a Caecilia dictis, Tiburtius, ardorem dicentis admiratus, ſimulque cunabula Chriſtianae religionis, ac firmiſſima argumenta, non amplius aduerſus ueritatem depugnandum ratus, procubuit ad uirginis pedes, cũ fletu, Chriſtũ faſſus Deum: germanumque alloquẽs, Abrumpe, (inquit) mi Valeriane, moras: eamus ad S. Vrbanũ: inſolito namque feruore aeſtuat animus, nec explebitur, donec ſacris lymphis immergar, deleta praeteriti aeui labe, & abluta conſcientia. habeant ſibi ciues noſtri trabeas, atque palmatas: curulibus aſſideant: laurea effulgeãt: mihi Chriſtus inſtar omnium erit. properemus frater: Chriſto uiuendum deinceps erit. Valerianus currenti addens ſtimulos ducit hominem ad Vrbanum, qui nouis quotidie praedis exſultans Chriſtianis praeceptis inſtruit iuuenẽ, urget ad maiora certamina, ſeptemque dies in Pontificiis caſtris habitum dimittit ad ſuos, plenum animorum, atque ferociae aduerſus Idola, Chriſtique amore exardeſcẽtem. hinc familia uniuerſa ad Chriſtum traducitur, duobus fratribus cũ Caecilia quotidie in acie ſtantibus, ac confluentes ad ſigna docentibus. Tiburtius, inter Angelo-

gelo-

gelorum colloquia horas ſaepe trāſigens, nulli iam concedere, pietate inſignis, magnitudine animi excellens, munificentia in pauperes eximius. Recruduerat gentilium aduerſus Chriſtianos rabies, & furor latius bacchabatur, ſublimioribus poteſtatibus auide cruorē exſorbentibus: nec in calamitate Reip. luctuoſisque Auguſtorum funeribus caelitum irae intelligebantur. Eboraci effuderat apud Britannos ſpiritum Septimius Seuerus, infelici ſenecta, inter turbulenta filiorum ingenia, & infames Iuliae uxoris amores. poſt mortem eius ſtatim filiorum iurgia, irae, atque aemulatio erupere: nec ceſſatū ab odiis, donec, Geta in ſinu materno iugulato, Antoninus Baſſianus Caracalla faſces aſſumpſit, cruenti exordia principatus a nouercali concubitu, inceſtoque auſpicatus, patre crudelior, Alexandri Macedonis, Syllaeque mirator, Achillisq. luctus, lacrymasque imitatus, Patroclo parentantis, ex Graecorum fabulis, uel crine detonſo, feralem dexteram amiciſſimi ſanguine ſibi conſecrandam ad poſteritatis admirationē putauit, madefactamque Germanorum, ac Getarū funeribus deuouit, non mitior Alexandrinis: oſtentationeque nuptiarum eluſis Artabano, regiaque Parthorum, lugubrem, & infamem ſui apud eas gentes memoriam reliquit. ſed ipſis Megaleſibus inter Carras, Edeſſamq. confoſſus occubuit. pullatoque praetorio Opilius Macrinus, imminētium malorum haud improuidus depulſor, purpura circumdatur. Verū nimia eius crudelitate irritatus miles deſciſcit ad Variū Heliogabalū Antonini falſo filium creditum tranſitione facta, Semiamira impudiciſſima femina genitum, & Variae nepotem. ſed ſcortum infandum, & omni lue funeſtius poſt ludibria naturae, ac ſexus ſerius, quam oportebat, ad inferos detruditur, ſublato ad faſtigiū Aurelio Alexandro, in urbe Arcene nato: &, quantum in Heliogabalo uitia praepolluerant, tantum in ſobrino uirtutes emicuere:

nec maiorem Syria tulit, licet barbaram ipſe originem, & peregrinos natales indignaretur, Metellorũ cognationem praeferens, iuuenis admirabili fortitudine, uel inter tumultuãdum exauctoratis legionibus, ac ſingulari modeſtia, ac pudore erga maiores, ſenatumque. Hac uirtutum indole motis in orientem ſignis, Artaxarem, a Parthis ad Perſas tranſlati imperij fama, geſtisque pernobilem, Aſiae minitantem, inſtructumque ſeptingentis elephantis, mille & octingentis curribus falcatis, equitumque c x x c I ɔ fudit, fugauitque, non ſine ingenti Perſidos luctu, atque ignominia. Romana prorſus fortunata Reſp. atque in aeternum uictura, ſi tam inſigni moderatore uti, fruique potuiſſet. ille, moribus caſtus, ſpretor pomparum, faſtusque, bonus in omnes, nec Chriſtum Deum dedignatus, in ſacrario locatum, inter numina gentilium, indigetesque: unde erga Chriſtianos mitis, atque beneuolus. ſed optimum Principem decepere miniſtri, peſſima imperij inſtrumenta, quibus plus licet interdum, quã ipſis Principibus: nec quidquam magis dominantibus officit. Domitius Vlpianus, a Papiniano ſecundus in iure dicundo, praetoriã gerebat praefecturam, implacabilis Chriſtianorũ hoſtis, oſorque crudelis noſtrorum rituum, fabulis Deorum deuinctus. hic edicta in noſtros atrocia promulgare: nos maieſtatis reos, nos peregrinarum religionum inuentores, nos deceptores hominum, nos Magos, & praeſtigiatores dicere: inſtruebatque pari aduerſus nos rabie reliquos Prouinciarũ praefectos: & ſe huic dederat Princeps docto homini, & gnauo: unde in nos magnae irae, & crebra ſupplicia, morteſque. Vrbana Praefectura Turcio Almachio erat demãdata, Vlpiani moribus ſimili. uetitumq. edicto Chriſtianis, ne trucidatorum ob pietatem corpora humo obruerent, ad maiorem religionis noſtrae contumeliam, ſeu ob uanitatẽ gentilium. uetus namq. illa opinio increbuerat

rat apud eos, inſepultorū animas arceri Stygiis ripis, atque Cocyto,& tamdiu per horrida loca, infernasque ſedes errare, triſtes, lugentesque, donec oſſa ſepulcro cōderentur. Sed Tiburtius, & Valerianus,ſpretis edicti minis, Chriſtiana pietate accenſi, inhumatorum oſſa colligere, & condere terra, nutantes Chriſtianos confirmare, & accendere, opibus ſuſtentare, & auctoritate amplecti: interque noſtros concurſu uirtutum, & ſanctitate praecipue eminebant, & nobilitatis inſignia ad uenerationem ſanctorum transferentes clariſſime fulgebant.ſed prauo quorundam ingenio deferuntur Almachio ueluti Chriſtianae religionis myſteriis initiati,edictisque Caeſarum repugnantes in ſepeliundis occiſorum corporibus.Miſſa illico militari manu,rapi Praeſes ad tribunal iubet. quos in hunc modum affatur: Cum nulli dubium ſit, uos in pube Romana nemini ſplendore natalium cedere, aut fortunarum ubertate, quam ob cauſſam inſignia maiorum, & trabeas, purpuramque tam inſolenter,& ignaue calcatis, foedis addicti miniſteriis, & opulenta ueſtra patrimonia tam turpiter heluamini inter greges famoſorum hominum, & egentium turbarum; ſpretisque ſacroſanctis Auguſtorum imperiis, ac patriis legibus,erga eos humanitatis,atque honoris officia praeſtatis, qui nefarie, impieque aduerſus Remp. Deosque ſenſere? an ueſpillonis munus patriciam manum decet contra maieſtatem ordinis? intelligo equidem,iiſdem uos agitari diris,& fanatico conciri motu, oblitos patriae,oblitos Auguſtalis ſacramenti, bellicumque aduerſus Deos immortales nimis ſcelerate canentes. ſecedite iam, & tam immanis pudeat incoepti patricias animas. iuuentae facilius ignoſcimus. Tūc Tiburtius: Glorioſum profecto cōmilitium, maximeq. expetendum memoraſti, Almachi. utinam cum his militare, & una albo adſcriptis merere ſtipendia liceret, quorum tu nos ſocios exiſtimas. uicere

iam

iam hi, & glorioſè triumpharunt, aeternis domiciliis illati, ſummumque (quod eſt) bonum aſſecuti, mortalium oculis, animiſque abſconditum, nec intellectum; ſpretũque, quod in uiſum cadit, nec tamen exſiſtit. Et Almachius: Quid eſt, quod uidetur eſſe, nec eſt? Et Tiburtius: Omnia, quae hac rerum mole continentur, animabus incitamenta malorum, ad perpetuos cruciatus per blandimenta uoluptatum ſubdole deceptis. Et rurſus Praefectus: Quid eſt, quod non uidetur eſſe, & tamen eſt? Et Tiburtius: Vita, aut gaudiis exhilaranda ſempiternis, aut diuexanda ſuppliciis. En nõ intelligitur iſta philoſophia, nec in Lyceo, aut Academia circumfertur, hebeſcentibus philoſophorum ingeniis, ad tantae doctrinae altitudinem. etenim, quae animo cernere, longeque proſpicere debemus, haud non uere miſeris obuentura eludimus, irretiti uoluptatibus; noſtroque in luctu, ac funere tripudiantes, falſis ratiocinationibus felicitatem nobis fingimus. Et Almachius: Tua te num fari mente credam? uere ne ratiocinaris? Reſpondet Tiburtius: Loquor equidem, ſed eius ore, quem toto animo ſum amplexus. Et Almachius: Conſtas ne tibi, & intelligis, quae effutis? Et iuuẽnis: Intelligo, & credo, ac omnia, uti praenuntiaui, permanſura ſcio. Et Praefectus: Cur ego in iſtis intelligendis hebeſco, nec eorum molitorem agnoſco? Et Tiburtius: Quid mirum, ſi animum, terrenarũ rerum ſordibus inquinatum, ad excelſa non effers, &, tamquam bellua, intẽtus praeſentibus, paſtuque ſatiatus, ulteriora rimari deſinis? non reprehenditur iuſti ſententia: nec in uituperationem cadit, qui ſe caeleſtibus inſinuat, triumphata impietate. o uere felices, quibus contigit iſta contemplari, atque in animo penitus infigere. Tũc effuſus in riſum Almachius, dimoto a conſpectu iuuene, Valerianum accerſit, perbenigne affatus, iubetque ſapientia ſua fraternam ſtultitiã abolere, adoratis diis. Sed Valerianus, germano haud infe-

inferior, ueritatem dumtaxat ore, & corde confeſſus, ferocius pugnam capeſſit, cõparatione pulcherrima cõpreſſa uanitate Praefecti, illuſiſq. idolis. Tunc ambo fratres, uincti ferro, grauiſſime, ac diutiſſime uerberantur. Sed Valerianus inter ictus ita clamare: Optata mihi dies adeſt, & omni luce iucundior. ecce iam proelij diſcrimen, & pignora uirtutis. Et praeco ex altera parte buccinabatur: Nolite deos, deasque maledictis inceſſere. Et Valerianus ad ſpectatores: Huc ora, Quirites, huc animos intẽdite: ne turpis ueſtra pectora metus irrepat, ne conſtantiã labefactet. ſtandũ pro ueritate eſt. agite, & uim numinis in cruciatibus noſtris ſpectate. cernant iam ignominiam ſuam Apollo, Mercurius, Iunoque, Chriſti militibus ſine dubio ceſſuri. uos noſcite eorum fallacias, Quirites, &, de ſalute ueſtra ſolliciti, Chriſtum quaerite. iam adeſt. Mouebantur animi, &, paullatim orta miſeratione, exaudiri circumſtantium clamor, cum Almachius, fratrum diuitijs inhiãs, ex Tarquinij Laecae amici conſilio imperat lictoribus, ut germanos ad Iouis ſimulacrũ ſacrificaturos ducant. quod ſi recuſarent, ferro conciderent. praeponitur his Maximus, Praefecti cubicularius, haud infimae ſortis uir, praeeuntes ad ſuppliciũ fratres, magnitudine animi per motus, caritateq. erga illos, in uia ſic alloqui: En infelix praeſtantia, inſignisque uirtus, quibus ſupplicijs deuouentur? excellensque pulchritudo, ac flos pubertatis lictoris ſecuri proterentur? o generoſiſſimi iuuenes, & uere Romana proles, clariſſimaeque germanitatis aeterni amores, cur ſic in funera tenditis, uiuentiũ auram, & hũc dulciſſimum caeli adſpectum exhorrentes? mors ergo, atque inferi tanto trophaeo nobilitabuntur? cur ita feſtinatis, tamquam cenaturi in conuiuio deorum? nulli poſt fata homini ſenſus, nulla uoluptas. uiuite, & maerorẽ totius nobilitatis, ſpiritu ueſtro redimite, atque delete. Sed fratres, Chriſtiana facũdia adorti militarẽ uirum, eo traxere,

xere,ut dilata paulliſper morte Chriſtianae religionis arcana perciperet, intellecturus infinita bona Chriſtianis morte afferri in omnem aeternitatem. Tũ Maximus, obſecutus fratrum conſilio, magnãque in ſpem traductus eorum,quae dicebantur a iuuenibus,in domum ſuam diuertit. audit Chriſti miracula: aperit ſinum ſalutaribus monitis: ueritatem intelligit. Interim Caecilia,cognitis duorum fratrũ rebus geſtis,de Maximi quoque ad Chriſtiana ſacra propenſione edocta, geſtire laetitia,hymnos Chriſto religioſe concinere. nec cunctatur: properat ad Maximi aedes, ſacerdotum manum trahens. nec mora, aut ſpatium interpoſitum: extemplo Maximus cum familia, lictoribusq. baptiſmate expiatur: ipſa diluceſcente aurora ita exorditur: Eia agite,fortiſſimi milites: tollite iam animos,electa robora bellãtium: caeleſtia intuemini:ac, depulſo tenebrarum horrore,clariſſimam lucem proſpicite oculis. arma iam, & pila quatite; ac, certamini accincti,aduerſus humani generis hoſtem, blãdientiſque ſaeculi illecebras ruite ferociter, & concinentibus tubis properate ad lauream, qua Ieſus Chriſtus Saluator noſter poſt certaminum ſudores, atque diſcrimina ceruices ueſtras decorabit. Ita omnibus Caeciliae oratione confirmatis,Tiburtius,& Valerianus,cum porrigere Ioui thura recuſaſſent, ad Pagum (locus eſt IIII. lapide ab urbe diſcretus) ſecuri percuſſi, occidere praeſtãtiſſimi iuuenes, longeque omnium praecellentiſſimi, eximia patriae, Chriſtianique nominis decora. Sed Maximus,ſupplicio praeſens, maxima admiratione corripitur. eorum animas,caelum petentes,Angeloſque circumſtantes Sole clariores conſpicatus: illacrymanſque, ſpectatoribus rem enarrauit,Chriſtum palam Deum confeſſus.multiq. rei miraculo, & nobilis uiri adhortatione ad bonam frugem conuerſi, exſecratique figmenta deorum, ac nefarios cultus,a S.Vrbano baptizãtur.Nec Maximo diuturna lux

na lux fuit, captus, ac plumbatis diutiſſime caeſus, in cruciatibus exſpirauit: cuius corpus iuxta ſponſum, ac Tiburtium, Caecilia marmore contexit, Phoenicis imagine in tumulo exſculpta. auem hanc ferunt Aegyptiorum fabulae oriri in Arabia, uariato diſtinctis colore pennis, humatricem patris, ad Heliopolim in Solis templum ab Arabia tranſuecti, myrrha operti, ſimulque parentare illi, ac ſexcentorum & ſexaginta annorum ſpatio uiuere, rurſusque renaſci. At Almachius, poſt fratrum caedem, auaritia ſaucius, anhelare fortunas, & de his non negligēter perquirere: ſed eas pauperum neceſsitas abſorpſerat largitate Caeciliae: quam ut coniugem Valeriani non intactam Chriſtianis ſacris exiſtimās, in eam magno impetu ferebatur, detecta pecuniae cupiditate. minatur igitur: miſsisque lictoribus, ſiſtendam concioni curat. Perurgentes miniſtros, uti ſacra faceret, ſupplicaretque diis, ſeruata inaeſtimabili pulchritudine, ſic Virgo eſt allocuta: Etſi uos pudet, pigetque, fratres, ac ciues mei, amplexari Praefecti ueſtri iuſſa, ut nimis atrocia, uosque maxime abhorrere a talibus intelligā, ſummo mihi decori eſt, pro Chriſti nomine trucidari: quippe, nulla habita aut uitae, aut dignitatis ratione, huius uſura lucis praepediri, ſummā mihi felicitatem, & uberrima praemia certo ſcio ſtrenue dimicantibus ab imperatore meo propoſita: & decet pugnacíſsimos non languide cadere. ita uixi, ut, hunc finem laborum diu augurata, ſemper optarim. militibus ſigna deſerere fas non eſt, morteque piatur: & ipſa praemiſſos iam ad caeleſtem triumphum cognatum, ſpóſumque haud ignaua ſequar. uos, Praefecti mandata explētes, de me, ac iuuētute mea cogitare definite. felicior uita in nece quaerenda eſt. Tunc illi, conſtantia orationis in miſerationem, luctumque reuoluti, lamentari, obſecrareque Virginem, ne florentiſsimam pubertatem, ne auguſtiſsimam ſpeciem im-

L mature,

mature, ac ſaeue pateretur abſumi, ne ue ſumma generis decora, annorumque florem obſtinate protereret, dedignata auras, dedignata uiuentium adſpectum, oraque. ſatis luctus, ſatis maeroris in urbe proſpectum, tot in unum coaceruatis corporibus. areſceret tandem lacryma in curiae oculis. laetaretur forum, tot funeribus atrum, ac ſqualens. erepta ab orco, inferisque uiueret ipſa: & uita ſua exhilararet uirginum choros, uniuerſamque ciuitatem, familiae calamitatibus ingemiſcentem: mulceret animi ferociam, & ad ſuauiora flecteret, praeſentibus laeta, nullaque ignoti mundi cupiditate incitata. ſapientiſsime a natura mortalitati conſultum. nihil de diis ulterius inquirendum, quam quod uetuſtas firmaſſet. proinde reconciliaretur diis, cumque potentioribus pugnare deſineret, opes, uitã, gloriamque nactura. Sed uirgo, petra pedibus inſeſſa, tamquam caeſpititio in ſuggeſtu, apud caſtra animi dolorem demens, imbecillitatem caſtigans, adhortansque ad meliora ſperanda, enudatis fabulis deorum, ac portentoſis figmentis, inſigni facundia effecit, ut uniuerſi Chriſtum faterẽtur Regem, Deumque. Et accerſitus a uirgine Vrbanus, pluſquam cccc. in aedibus uirginis ſacro fonte abluit: inter quos praecipue effulſit Gordianus quidam nomine, eminentiſsimae nobilitatis uir, praecellentisque pietatis, & amore erga uirginem cunctis praelatus. Poſt haec uirgo adducitur ad tribunal, ingẽti pugnae cupiditate ſuccenſa, pectore ferox, & inſidente numine daemonibus minax, cultoribusque eorum, ac nobilitatem, maiorumq. decora, ueluti oculis, inceſſu, & ore praeferens, ac Chriſtiana inſuper demiſſione clarior, totque triumphis partis, fuſisque hoſtibus Praefecto terribilior. cumque de nomine, origine, ac religione fuiſſet interrogata, praeclareque reſpondiſſet, offendiſſe Praefecti animum uiſa eſt Chriſtiana libertate deorum, ac Caeſarum iuſſa parui fa-

ui faciens, iactante praeſertim Almachio faſcium terrorem, & ampliſſimam poteſtatem, etiam in ciuiũ necem; ſimulque inſtante, ut, maieſtatis accerſita, deleret obiectum in deos impietatis crimen, accenſo thure, exhibitoque numinibus cultu, atque alienis infortuniis, domeſticisque malis edocta, conſuleret iuuentae, uitaeque, ne ue animi contumacia, atque elato ſupercilio, infringeret regnantis clementiam, aduerſus deos petulanter garriens, exſecrareturque tandem Chriſtianas ſuperſtitiones, ac pari animi celſitate fateretur errores, reconciliata diis, aeterni imperij praeſidibus, atque innocentiſſima totius ciuitatis teſtimonio declarata, accuſatores, delatoresque praeclare uinceret, nobiliſſima adoleſcentia, atque admirabili ſpecie ex mortis faucibus ereptis, ac conſeruatis. Cui Caecilia ita reſpondit: Deſiſte loqui tandem, Almachi: praeclara iſta tua oratione nihil eſt profectum. non intelligis, quantae ſit dignitatis, Chriſti ſponſam cenſeri. ſat tibi eſt, iactare conceſſam a Caeſaribus poteſtatem. hac tu inaniter tumes, quae ultra tamen necem ſaeuire non poteſt. nam, mortuis donare lucem, unius eſt Dei, o uere aura inflatus uter: quem ubi acu pupugeris, ſtatim deturget. ſic tuorum faſcium terror, atque ſecurium. miſce iam manus: expedi uirgas: ignem accende: acue mucronem: torque faces, haſtasque: imple crudeliſſimorum Caeſarum imperia: immitte feras: carnificinam exerce: adſum ego haud pauido pectore. ſpectabis, Almachi, (& quanto cum dedecore tuo, imperatorumque tuorum?) nil fatenti Chriſtum nocuiſſe tonantis ueſtri fulmina, aut irati Gradiui haſtam, frementis ue Neptuni tridentem, ſimulque fulſiſſe inaniter aegida, haeſiſſeque Dianae ſpicula. heu Graeculae fabulae, & infelicia commenta ad ueritatis occaſum. En quã uere apparet in ſumma te rerum ignoratione uolutari, atque in mirabili caligantem

ſplendore circumferri? lapides, aera, teſtam, ceramque tu Deos nuncupas? pelle tenebras, miſer: ſtuporemque mentis detrude tandem: animumque ad certiora attolle: diſce: nec pudeat in ampliſſima poteſtate ſapientioris parere praeceptis. Tunc Almachius, multum increpata uirginis audacia, uehementi ira ſuccenſus, reduci eam in penates, ibique balnearum ignibus abſumi iubet philoſophi perſonam, quam ad famam ſuſtinebat, oblitus, praelato cultu deorum. aceruatur interim flamma, urgenturq. ardores feruentibus aquis. uirgo, Chriſto plaudens, gratesque agens, ſpernere turgentium flammarum uim, &, tamquam in amoeniſſimo loco collocata, non aeſtuare, non ſudorem emittere, incendium ne ſentire, ſed, manibus expanſis, ac pectore intrepido, ueluti e concione, affari circumſtantes, Chriſti ſigna, uirtutesque docere, atque ad uirtutem adhortari. Quod ubi Almachio relatum eſt, praecepit lictori, ut caput uictrici abſcinderet, ne diutius illuderetur maieſtas deorum, ſperneretur que. Ille, mandato parens, concionantem uirginem nactus, ter in ceruice gladio appetiit, haud pleno ictu, abſceſſitque, ſeminecem illam relinquens. manabat cruor, irrorans que candorem carnium maculabat, atque inficere aquam, piorum turba flebili eiulatu circumſonante, ac linteis, ſpongiisque ſanguinem detergente. illa, impauida, uel in limine mortis magnanime intueri proximos, ſolari aegros, ad Chriſti religionem, amoremque acrius inflammare: accurrentemque S. Vrbanum cum ſacerdotum multitudine ita eſt allocuta: Trium dierum inducias, Beatiſsime Pater, a Chriſto impetraui, ut domum hanc in templum erectam, expiatamque conſpicerem; ſimulque fortunas (quae adhuc ſuperſunt) Sanctitati ueſtrae traderem, in pauperum uſum, neceſsitatemque. hi namque praecipue uiuenti mihi curae fuere. nec iam in occaſu obliuiſcar. has accipe.

iam ipſa laeta ad ſuperna proficiſcor. Expleto triduo, feliciter animam exhalauit, decimo Kal. Decembris. Corpus eius, ſublatũ, in coemeterio Calixti, ab Vrbano Pontifice honorificentiſsime conditum eſt, inter Epiſcoporum, ac martyrum ſepulturas: quod longo temporum interuallo repertùm, uel recenti ſanguine perfuſum, Paſchales I. inſignis pietatis, ac nominis Princeps, in aedem S. Caeciliae, cum Valeriano, Tiburtio, aliiſque martyribus religioſiſsime tranſtulit, aggeſtis praeconiis, ac repetita glorioſiſſimae bellatricis memoria.

S · BARBARA IV.

BArbarae genus non ignobile, ac ſordidum, ſed inter Bithynos clariſſimum exſtitit, Graecae licet originis. Nicomediae naſcitur in Bithynia, gẽtis principis, a Nicomede Rege cõditae, in Aſtaceno ſinu, magnae, atque eximiae poſtmodum gloriae opidi, ſedem ibi locante imperij Romani ad orientem Diocletiano, filia Dioſcori, (genitricis nomine iacente in tenebris) ciuis opulentiſſimi, & multi nominis, ſapientiae dediti, & philoſophiae amantis. pubeſcens traducitur a patre idolorum ad ſtudia, & diſciplinas: exſtinctaque matre, Dioſcorus ipſe gemino fungitur parentum officio: filiam non lanificio, ſed philoſophiae addicit, perquiſitis undique magiſtris ſupra priuati hominis condicionem. ſed Barbara, alma in eã flante aura, auditis Chriſti uirtutibus, ſignisque, Ethnicorum fabulas, & portentoſa idola haudquaquam numen redolere intelligens, animum ad maiora attollere, interdiu mortalium calamitates animo euoluere, lucem utero occluſam fetido productam ſemine. hinc primo ex adſpectu aurae uagitus, dolores, moleſtias, aerumnas, uexationem fortunarum, proelia animi, & cupidines diras, & inexplebiles, trucem Martem, & omnia polluta, foeda, crudelia, & miſera; rurſus contemplari caelum, curſus, aſtrorumque uarietatem admirans, alia ignea uidens,

dens, alia argentea, alia liuida, alia omnia, eiuſdem tamen naturae, ſeptem exceptis, eundem locum, ordinemque ſeruantia, illa quoque ſeptem magnitudinis eximiae, certis inter ſe diſcreta ſpatiis, uariiſsimis motibus, certiſsimisque, diurno motu, diurnoque ſpatio ab ortu ad occaſum decurrentia; Solem praeterea proprio obliquo ſe motu uoluentem ſub Zodiaco, nuſquam hac illac deflectentem, ſed ſemper ſub medio, peragentemque annuo hunc motum interuallo, motuque in hoc inaequalitates quaſdam perennes, ſtabileſque habentem; mitigantem etiam eo decurſu omnia ſub Lunae contenta orbe; Lunam porro ipſam citimam terris, menſtruo ſpatio curſum proprium abſoluentem, uagam hac illac ab Auſtro, Septemtrioneque uelocitatem, tarditatemque, certiſsimis uariantem legibus, illuſtrataeque ad nos partis maiorem, minorem ue portionem conuertentem, uariaſque exhibentem figuras; molem hinc terrarum, gurgites aquarum, fulminum iactus, fragores, imbres, tempeſtateſque: hinc poſtea uerſare pectoribus cauſſas, ortus, occaſuſque rerum, arcana naturae perdiligenti exactione rimari, haurire ex philoſophorum libris: nec tamen poſt multos labores, & intelligentiae conatus contentum animum, nec expletam cupidinem intelligere, inter ipſas epulas, lautiſsimaque Philoſophorum conuiuia eſurire. laudabat nonnullorum acumen ingenij philoſophorum: ceterum abhorrere pugnas, & diſceptationes circa exordia, & originem rerum: plus ſubtiliter, atque acriter diſputatum, quam ueram traditam, & haud incertam diſciplinam: nec fruſtra quidquam a natura progenitum: eſſe aliquem moderatorem, atque architectum, nullius egentem adminiculis, ſuo omnia regentem nutu, ſuoque contentum, & felicem numine; Iouem uero, agmenque illud deorum haud tantae eſſe uirtutis, maieſtatis ue, ut talia tamquam diuina eorũ in iuſſa-

cade-

caderent, & ſapientiam: coepiſſe eos, & natos eſſe, fabulis quoque celebres, inter ludibria, & ignorationem mortalium, inter infanda ſtupra, adulteria, caſus amorum, atque obſcena mulierũ donatos ſideribus perpendere. igitur tentanda ſibi Chriſtianorum arcana conſtituit, accerſitisque quam occultiſsime Sacerdotibus, ab his Chriſtiana religione imbuitur, ſcribente non raro ad uirginem (ut fertur) per Valentinum presbyterum illuſtrem hominem, aſſuetum Dioſcori frequentare penates, notumque propter grauitatem, ſanctitatemque morum Virgini, infortunato Adamantio Origene, qui per eã tempeſtatẽ Aſiae magiſter, per crudelitatem Septimij Seueri Leonide patre orbatus, terrarũ orbi claritudine diſciplinarum, concurſuq. uirtutum illuceſcebat, prorſus omni aeternitate digniſsimus, & ſupra reliquos Chriſtianae diſciplinae profeſſores eminentiſsimus: niſi, haereſeos facibus aduſtus, ſubſequentibusque ſaeculis infamis, diuinitatis myſteria, interiectis philoſophorum inſomniis, fabulisq. defoedaſſet, ad piarum mentium perturbationem cõcurſuro funeſtis poſtmodum inter ſe cladibus orbe, nec contaminaſſet clariſsimum nomen, cum exitio ſui, & tripudio inferorum, hoſtiumque, adeo ut qui plurimos ad martyrij gloriam, decusque accendiſſet, ipſe poſtea inglorius uix tentato certamine abiret, priſtini oblitus ardoris, quando pater Romanam ſecurim in uulnera, caedemque laceſſebat, materque ſubreptis ueſtibus, eum nondum X V I. annos agentem, ruentemque in occaſum aſtute in penatibus inhibebat, ad ſex fratrum ſolatium, multorumque ſalutem: inurunt & aliam infelici notam, ne pateretur infanda, ad Aethiopis ſtupratoris cõſpectum inieciſſe tura igni, diisq. libaſſe. igitur, ſurdis haudquaquam Barbarae auribus ad tantam prodigiorum excellentiam, gloriamque, ſatis docta de origine orbis, & fine, Chriſto animum, & caſtitatem uouet:

miro illi ardore inſeruit: excubat diu noctuque in ſacris perlegendis hiſtoriis, aut precibus: implet opere mandata: incredibili ſplendet pietate: nec forma, & dignatione corporis obſcurior laeto patre inter filiae decora, & gloriam. ſed ſuſpicioſus ſenis animus (ut plerumque fert ea aetas, experta iuuentae laſciuias, & pruriginem, & caſus, ſimulq. ſuae non ignara imbecillitatis) ne puella omnium oculis pateret,& ideo ſuccumberet,inter crebros amantium ictus lacerata fama, id quod haud raro cõtingere ſolet in ſumma pulchritudine rara cum honeſtate concordia, & mortalium ingenio haud talia aſpernante, pulſari inter riſum,& tacita gaudia,angi etiam, & torqueri: quippe ſi affinium, cognatorumque animis ſuſpicio inhaeſerit, lentior, & diuturnior, amantium uero crudior, uehementior, acerbiorque. quamobrẽ Dioſcorus excelſam turrim aedificat: eã pro gynecaeo filiae attribuit: honeſto ſaepit comitatu, dimotis iam a latere magiſtris, ne, ſpecie doctrinae, diſputationiſque, libarent natae pudicitiam: id genus hominum audax,proiectum in Venerem, &, ut ſordidum, ſpretum, & ideo inter commoditatem, & deriſum in amoribus non infortunatum: omnique non improuide conſilio occurrit. ceterum puellae nomen, dignitatemque uulgi ſermones fama clariore, maioreque (uero fictis admixto) foras trahere, excitata, uexataque multorum mente, plerique in taedas, & faces exarſere ad pulchritudinis famam Virginis, accolarum ingenio obnoxio Veneri in magna rerum ubertate, caeloque haud mitigante pruriginem, inter cõmoda pacis Bithynia per plures annos in altiſſimo otio poſita,procul omni armorum ſtrepitu, interque delicias, & ſaeculi luxum, multarum expugnata uirginum caſtitate aere modico, pollutis ue thalamis, ſtratoque uiduarum pudore, & modeſtia inter uiuentium gaudia, impudicorumque riſum, triſtibus defunctorum animis maerenti-

renti-

rentibusque cineribus. igitur in uxorem multorum precibus uirgo expetitur. facilis fuit ad uoluntatem amantium genitor, & liberorum uoto, & filiae caritate, quam, in flore aetatis conſtitutam, atque immodicis aeſtuãtem ardoribus, credebat haud refugituram oſcula, amplexusque mariti, optatum plerumq. puellarum uotum, perennemque cupidinem. ſed, antequam certum in conſiliũ, condicionemque deſcenderet, ad exploranda conſilia, mentemque, hac ſuper re alloquendam filiam ratus, in turrim adſcendit, complexusque accedentem ad oſcula, natam ita affatur. Tantam erga nos, familiamque noſtram, & praecipue erga te immortalium deorum benignitatem experior, ut iam uberiora, magnificentioraque, quam pro ſpe aſſecutum me cernam, planeque intelligam, euitandum dehinc ingrati erga ſuperos animi ſcelus, & religioſo uoto, piaque ſupplicatione, uoluntateque his ſatisfaciundum, ut gratiores ſe nobis poſthac non impie eorum utẽtibus fauore exhibeant. ego, amantiſſima filia, talem te, qualem a diis immortalibus apprecatus ſum, cerno nunc oculis: obuerſantur iam ante oculos futurae inſignia gloriae, & dignitatis ſplendor: intelligo generis famam noſtri per decora tua Aſiae nõ ignotam fore: aetas tua nubilis eſt, mihique ad ſuſtentanda ſenectae incommoda felicem prolem auguratur, planeque promittit. prudentis, caſtaeque uirginis eſt, nõ obluctari parentibus, nec maritalem proterue ignem ſpernere, atque deprimere, hac praeſenti tempeſtate, inter faſces, & iura Romana. multorum circa me ora collacrymantur, multorumque pectora aſſiduo maerore, cupiditateque tunduntur, qui te, propter egregiã pulchritudinem, dignationem nominis, famamque pudoris, uenuſtatemque, (felicia parentum pignora, & decora) in uxorem expoſcunt: itaque, certis antequam conſiliis addicerem animum, (ſuaſit caritas, inſatiatusque erga te

 amor)

amor) rem auribus non ſubtrahere tuis, ut cognita uoluntate tua, feliciori omine, certiorique deſiderio, fauente ſuperum benignitate, taedas auſpicarere: nec tibi Aſiaticus ciuis, aut aduena Latinus denegabitur. habes a me conſilium, filia: imple & tu uota. Tunc Virgo, ſuffuſis rubore genis, demiſſa uoce, & blanda, uultu hilari, ita reſpondit: Magna mihi res, cariſſime pater, & noua obiicitur, magnumque onus impar puellaribus annis imponitur. aliarum ſit feſtina Venus, & accelerata proles: quoniam ſic inter hanc temporum licentiam in obſcena lubet cupiditates deiicere: mihi uero diſpar animus, & cupido. ſatis dignas auſpicaturam nuptias intelligo, ſi ipſa, dumtaxat de me edomitis cupiditatibus, extinctoque illecebrarum ardore, triumphem. hac in palaeſtra mihi deſudandum. res certe difficilis. at in arduo uirtus conſpicitur. Venerem, cupiditatum refugium, & corruentium ſolatium, non ignoro. ceterum in caelibatu aeternum decus, & quies: id mihi in uoto, uel cum diſcrimine lucis. poſthac omnis coram me ſermo de nuptiis conticeſcat. id pro mercede (mi genitor) accipiam amoris erga me tui, quod aſſecuta, ſatis ſuperque me abs te amari dixerim. Quo ſermone uehementer Dioſcorus obturbatus, deiectus ſpe ſua, cum minime animo reputaſſet filiam uſque adeo addictam caſtitati, ut, ſpretis uoluptatibus, quas adeo flagranter, rabideque puellaris anhelat aetas, reluctatura mandatis, imperioque, & ipſi blandienti Veneri, ſtatuit, relictis patria, focisque, externa, longinquaque luſtrare, ut, uidendis exterarum gentium moribus, ritibusque, leniret angorem animi ex filiae repulſa, obſtinatoque pectori ex abſentia ſua incuteret deſiderium. ſed, antequam abſcederet, ſeque itineri committeret, nobile balneum prope turrim aedificandum curat, cum ad ornatum palatii, & gynecaei, tum ad commoditatem filiae, ancillarumque, ſectatrice talium

balnea-

balnearum antiquitatē, nec parca, unde luxus, intemperantia, illecebrae, lautitia, atque inhoneſta, apud iuuenes praeſertim, puellasque, oriebantur. Quare uidetur mihi ſummis non immerito laudibus celebrandus in omnem aeternitatē Philippus Auſtrianus, Caroli Auguſti filius, Regum clementiſſimus, opulentiſſimusque, ob balnearum uſum in uniuerſa prohibitum Hiſpania ad exterminanda incitamenta libidinum, ac malorum. At Dioſcorus, accerſitis operis, diſtributa mercede partitus opus, prius magnitudinem, ſtructuramq. architectatus, peregre abiit. Ceterum Barbara, haud triſtis paterno diſceſſu, libera ab omni cura, urgere ſe ipſam, nimis ſe ſegnem, & ignauam compellans, quoniam nihil adhuc memorabile pro Chriſto geſſiſſet: abſtinentia euincere ſeipſam, nimio caſtitatis ſtudio inardeſcere ex geminato odio thalami: aſſiduis ſe precibus Deo demiſſiſſime commendare: ſibi non ignoſcere: nec molliter inter luſus, riſumq. traducere tempus; ſed tenellos annos inter uigilias, preces, ſilentium, & lacrymas firmare, chlamyde exornata, cilicio interna affligens: deinde Chriſtianos allocutura flamines, relaxandi animi ſpecie e turre deſcendens, comitata ancillis, diuertit ad balneum, cuius iā haud ſpernenda attollebatur moles. animaduerſoque uitio, gemina dumtaxat ad Septemtrionē deſignata feneſtra, quaeſiuit ab Architecto, cuiuſnam id conſilium eſſet, cur non tertia feneſtra adiiceretur? Reſponſum, proficiſcentis id Dioſcori imperio iniunctum. Tunc Virgo: Addite uos & aliam. Tunc operae oſtentare mandata patris, & uoluntatem, ſimul uereri ſe illius indignationem aſſerere. Et Barbara: Mihi, nō uobis, ſi quid peccatum erit, adſcribatur. culpa nocentem urget. pro uobis hoc caput haud trepide ſtabit. ſed nullum timēdum erroris dubium. ipſa iubeo. Paruere tunc miniſtri, moti cōſtantia uerborum, uultusque maieſtate attoniti. Scinditur in pariete tertia fene-

feneſtra, naſcentique aperitur proſpectus Soli. Ambiens inde aedificium uirgo, ſtructuram cum uoluptate cõtemplatur. Verſam deinde ad ortum digito in marmore crucem duxiſſe perhibent tanta agilitate,& mollitie,ac ſi in luto fixiſſet. inde,ingreſſa balneũ,ſcaturiẽtem ad aquam alte ueſtigium impreſſit. mox, allocuta Chriſtianos, trinae in hypoſtaſis nomine ſalutari ſe aqua abluẽdam curauit, ipſo Origene ſacro myſterio religioſe famulante. reuerſaque in gynecaeum, conſpectis in larario idolorũ ſtatuis,multa ab his ſciſcitatur,multaque perquirit. Quibus mutis, ſilentibusque,indignata uirgo,grauiter infremere caritate genitoris, (quem indigniſsime his inſeruientem uidebat) mox ſputum in ora iacit cum cachinno, miſeros illos, atque infeliciſsimos uocitans, qui ipſis oblato thure fidem haberent, nullo lucro, certiſque ſuppliciis. Inde, Angelicos ſaepe hauriens affatus, incredibili pietate feruere large in pauperes effuſis fortunis. Reuerſo poſtmodum genitori, poſt ſalutationẽ, & oſcula, & ex contemplatione aedificij animaduerſa feneſtra, indignanti, ſciſcitantiq. facti auctorem, detecta a fabris Virgo, conſtantiſsime reſpondit, multiſque rationibus tergeminam excipiundum ad lumen neceſſariam eſſe feneſtram aſſerit, tergemino lumine illuſtrante mortalem. iactae ambages incuſſere ſciundi cupidinẽ patri. inſtantique, ut patefaceret arcanum, & ſecum de philoſophia, diſciplinisq. cõtenderet: Virgo,almo impleta ſpiritu,cũ grauiſſime eſſet exorſa, trini Dei aperit notionem, & ſecreta, nec id apud Platonicos (quorum ingenium inter philoſophiae profeſſores magis ad caeleſtia acceſſit)ignotum aſſerens, infirma licet oculorum acie ad tanti claritatem myſterij hebeſcente, probe tamen intellectũ apud Chriſtianos, quorum in religione ueriſſima ſententia eſſet, & certiſſimae fidei ſacra haudquaquam adſtructa fabulis, & mendaciis. Quibus dictis, inflammatus ira Dio-

ſcorus,

ſcorus, cum non modo filiam, contumaciter ſua detrectantem imperia, uerumetiam impie rebellantem a ueteri, gentilique religione uideret, arrepto gladio, minacißime in Virginem rues, mactaturus in penatibus erat, adſperſurusque ſacrato cruore funeſta ſimulacra daemonum, ni puella ſaltu celeri, citisque greſsibus cubiculo ſe proripuiſſet, ac proximum in mōtem ſeceſsiſſet. Fugiētem perſequitur pater: attente ueſtigia premit. iamque apprehēſuro patefacta repente petra aufertur dirius minitanti, indignantique. itaque haeſitans omnia circumluſtrare, & perlegere oculis, ſudore oppletus, anhelansque. factum duobus dumtaxat paſtoribus cum gregibus per accliuia gradiētibus uiſum. oborta admiratio. unius fuga, alterius curſus, uultus unius pauentis, ſed in pauore gratißimus, alterius ferocientis, ſaeuientisque trahere in curam noſcendae rei & cauſſae. haud fruſtratur Dioſcori inſania magis, iam non ira modo frementis, ſed pauidi dedecore ſui (ne filia aduentantibus tenebris latronis praeda foret, atque in ludibrium raperetur) eorum cupidinem. igitur de filiae fuga ipſos interrogat paſtores, quo intendiſſet curſum, quas quaeſiſſet latebras, (ira quippe in fractura ſaxi diſtulerat a prodigio oculos) uerticem nūm montis, an ima tenuiſſet, quibus ue occluderetur uirgultis, antriſque. Mota uni ex his pietas ex indignitate fortunae, Virginisque poenarum, ſi furenti praeda patri concederetur, grauiter ingemiſcenti, affirmantique, nequidquam ſibi uiſum. at alter, montana feritate uſus, ingenio belluino, ex habitu, uultuque Dioſcori, Principem ciuitatis facile illum eſſe cōiectans, aucupaturus hominis gratiam, digito puellā oſtentat. Subſecuta cum prodigio ingēti ultione ex imprecatione Virginis horribili, uerſam namque in lapidem ouem ferunt gramina carpentem, tulit imbelle, innoxiumque pecus procacitatis, impietatisq. herilis poenas. auaro nullum

gra-

grauius malum, & peſtis, quam fortunarum diſsipatio,& iactura. At Dioſcorus deprehenſae os Virginis pugnis,& tergum calcibus contundit: nec,ut in filia caritatem, aut in Virgine pudorem, aut in femina fragilitatem, uel in puella ſimplicitatem, uel in pulchra indulgentiam reſpiciens, trahitur ueluti lymphata perdumos, ſaxa, uepres, & praecipitia Virgo,diſcuſſa caeſarie, laxataque per humeros praebente funium uſum. uox nulla excepta pauentis, ſed tantum Chriſtum celebrantis. conſtantia filiae acerbior paterno in pectore rabies exſuſcitata, altiorique hauſta uulnere anima, dum ſpumat, aſſultat, furit,& uerberat, maiores ipſe ex deſperatione, iraque perfert poenas: ſentit inexpiabilem dolorẽ, uehementiſsimumque cruciatum, rorantem cruore Virginem, laniatis genis, cruribusque, tumente papilla,liuido tergo, cruentatis oculis domum perducit, cellaque peranguſta concludit, obductis foribus, interiecta etiam catena, oppoſitoque cuſtode: arcet ab aditu famulas, quae in calamitate dominae muliebriter flebant, lamentabanturque, ac ſi occidiſſet. excludit conſanguineos: ipſe nullis amicorũ mitigatur alloquiis, nulliusque excepta conſolatione, aut conſilio, dirae pectoribus inſidere, piaculum, ſpretorumque fauor numinum, auitaeque conculcatae religionis iniuria rapere in caedem, & ſanguinem, ſimul oſtentari reſcripta, edictaque Caeſarum, queis Chriſtianorum ritibus,eorumque fautoribus atrociſsima ſupplicia infligebantur. par famulantia Caeſaribus pectora rabies inuaſerat, nihil Auguſtis gratiùs fore putãtia,quam ſi gentili cruore immania, taeterrimaque eorũ iuſſa ſancirent. Enimuero Maximinus, huius nominis primus, Thrax, uiliſsimae homo condicionis, pudendorum natalium, ſummae, inauditaeque crudelitatis, efferatique prorſus ingenij, ceterum roboris eximij, audaciae terribilis, uaſtae corporis molis, informisque proceritatis, profun-

profundiſsimae gulae, perniciſsimaeque uelocitatis per ſummum ſcelus, diramque proditionem ad opidum Viceliam haud longe a Magontiaco in procinctu Germanici belli ante aquilas in ipſo praetorio trucidato Alexandro, Mammeae filio, clariſsimo Imperatore, XIII. per annos rem Romanam ſapientiſsime, fortiſsimeque moderato, terrarum orbi, Capitolioque (diriſsimum ſcelus) iura dabat. hic, odio Alexandri, quem a nobis non alienum intelligebat, pietate Mammeae matris, pudentiſsimae, excellentiſsimaeque feminae, (quam Antiochiae in ardore Perſici belli cum filio aduerſus Artaxerem proficiſcentem ab Adamantio Origene Chriſtianis imbutam ritibus, ſacrisque fama uulgarat) impiiſsimum, atrociſsimumque noſtris bellum intulerat, ac ſi Germani nos quoque eſſemus, quorum terras funeſtiſsimo Marte uexabat. itaque non minus noſtro, quam Germanorum cruore, Rheni, Albisq. gurgites redundauere, tepuereque Septemtrionis pruinae, Hercynia caeſorum cumulos nō ficte lugēte. uiolentiſsimum armorum fulmen per triennium ubique tactis, concuſsisque grauiſsimo metu terrarum gētibus, in ipſius tandem exſecrabile auctoris caput recidit, tumultuante Africa, & Romano Senatu communi cōſenſu capeſſente arma, uel tribus aduerſus Thracem Caeſaribus belli ducibus acclamatis, ac permiſſa Rep. ad Aquileiam meridiano tempore, Vrbi, Italiaeque fatum coquens, militari coniuratione cum filio praeſtantiſsimae pulchritudinis, exoptatiſsimique mulieri oris, uoraciſsima, taeterrimaque bellua trucidatur, fera uictima, ſed haud ingrata Alexandri, peremptorumque cineribus. At Dioſcorus, in inſania crudeſcens, extemplo (ne filiae reſpirandi ſpatium daretur) adiit Martianum: (is tunc Nicomediae ius dicebat, ſex faſciū honore praefulgens) rem, ut geſta erat, enarrat: poſcit acui mucronem, accendi rogum, produci feras, filiamque crudeliſsi-

mis diſcruciari ſuppliciis, uoluptatem ſuam ex torrendis Virginis uiſceribus, corporeque fluituram: non illam ab ſe exiſtimari iacturam, ſed ſacrum: dummodo conſuleretur Religioni, dumque Caeſaribus honos adhiberetur. Si filiam inultam dimitteret, ingentes haud dubie ſacra ueterum paſſura ruinas, cum ſumma turpitudine. patrem ſe eſſe, ſed malle carnificem, ne quid exſecrandum, atque inexpiabile ex offenſorum ira numinũ Auguſtalibus trabeis, diuiniſque capitibus contingeret: mutatione ſacrorum proculdubio portendi excidiũ, perturbationemque terrarum dicere. Tunc Marcianus, collaudata hominis conſtantia, & religione, quoniam Deorum amore filiam perditum iret, ſiſti ante ſe uirginem, maxime incitatus reliquorum diritate Praefectorum, iubet, trux ipſe ingenio, & a puero exercitus inter arma, infauſtoſque exciſarum urbium cineres, ſtratorumque aceruos, guſtato cruore, dextera terribilis, pace funeſtus, bello excellens: (prouiſum quippe fuerat Auguſto, crudeliſſimã molienti carnificinam, eſſe cum faſcibus, iiſdem moribus, & diritate mortales) quam etſi male affectam contemplatus, utrimque datis in occurſum forte oculis, magnopere obſtupuit, repreſſaque ira, qua paulo ante ſtolide efferbuerat, decora uirginis legere non incurioſe corpus excellens, decoram proceritatem, flauentem comam, niuea pectora, & ſi ueſtis multum cupiditati oculorum ſubtrahebat, os auguſtum, oculoſque, & ſi riſus, frontiſque affuiſſet cum benignitate hilaritas, prorſus eximia omnia. itaque miſeratus puellae, blande illam pertentat, mulcet cum praeconio pulchritudinis, famaeque, indignantem, uel in calamitate uirginis animum. Vnde, inquiens, nobiliſſima puella, Aſiae ſidus, decuſque Nicomediae, & non imperite almae aequanda Veneri. Vnde, praeclariſſima Barbara, tam noua mens, & adeo inſanus erga uilem hominem, crucique affixum, amor tranſuerſim rap-

tat animum? quantũ dedecus gentiliciis accerſitur imaginibus, quantaque paternae inuritur nota uirtuti, & famae? unde feralia iſta hauſiſti dogmata, ſpretis patriis, quae tot per ſaecula, annorumque ſeriem uiguere? ingrata profecto pro tot beneficiis erga ſuperos exſiſtis, qui tantis te decorauere honoribus, ſeu ingenij, ſeu fortunae. horrendum piaculum, obliuiſci beneficij, pugnareque aduerſus benefacientem. nihil hoc taetrius, nihil inhumanius. nulli fas, o Virgo, poſt Auguſtos recentia introducere Romanum in orbem numina: uide, quaeſo, quo tua uergant conſilia. ſatis iam poenarum omni in plaga terrarum ex Chriſtianis hauſtum accepiſti. omnes in eos armatae gentes aſſurgunt: explicatisque uexillis bellant cum his aeternae legionum uires. ipſe minacem in uiſcera gladium euibrat Auguſtus: Romana iam cuſpis eorum ubiq. ſanguine tepeſcit: defixique nocentium pectoribus adhuc mucrones, & pila tremunt. portentoſa ſuperſtitio nullo in angulo tuta latet. age tu, modo, Barbara, teipſam reſpice, metire pulchritudinem, conſule iuuentam, cole Iouem, accende ad aram thura, tua manu mulce deos. nihil ſuperis acceptius, quam puellare donum, & ſimplicitas: e caelo euoca in terras numina. ſit in fama, gloriaque noſtra haec aetas pulchritudine tua: luſtretur iterum deorum peregrinationibus, & numine hoc idem Aſiae ſolum. fortuna tua maior, & felicior omnibus. tuus erit triumphus, tuum decus, bellaſſe, & uiciſſe inter fulmina Iouis, haſtamque Martis. tu ab Olympo (ſi perennibus aris, ſacriſque mentem applicueris) deorum domicilium eris. Satis diuino in corpore dignũ metabuntur hoſpitium. uno animus metu quatitur. ne iterum aduerſis, infeſtiſque animis inter ſe caelites pugnent, ne cupiditas tui, & gloria formae inuoluant funeſta diſcordia deos, ne ſuſpicio Iunonem infatuet. facile illam aequas, & uenuſtate, & flore aetatis:

in hoc celſior, digniorque, quia uirgo. at, ſi te iſta urſerit inſania, teque in abrupta deiicere perrexerint furiae, & dimicare cum diis malis, quam uincere, non pie mactaberis. Cui Virgo: Si morem ueſtrum, & inſtituta Romane ignorarem, aut tibi cum Romano aliquo, aut Graeco ſermo fuiſſet, non infeliciter de uictoria ſperare liceret: ſed apud Chriſti cultores facile omnis eloquentia ſpernitur: & ipſum laterum robur, ac floſculi orationis deridentur: neſcit Chriſtiana animi demiſſio ſuccumbere uanitati dicentis, fictis ue laudibus, aut adſcriptis praeconiis. nam omnis adulatio funeſta, in ore uero regnantis peſſimum uenenum, dum nos ipſi extollimus, elidimur. at tu, dum tuorum attollis, iactasque numen, & decora caelitum, dumque pulchritudinem celebras meam, non intelligis, a te ipſo damnari ueſtra numina: Deus enim rei nullius indigens eſt, nec capitur forma mortalis. pulchritudo, fluxa res eſt; &, dum uiget, amabilis; ceterum ad breuiſſimum tempus obteritur. Si in me illuſtria ſunt lineamenta, meae hoc laudi non adſcribatur, quae nihil, ut ita eſſem, contuli, aut potui: illius, qui fecit, gloria profecto eximia, in luto, & ex luto egregiam duxiſſe figuram: ipſi pro tot beneficiis tuli iam libamina, obtuli iam ſacra: ipſum dumtaxat ueneror, ſpretis ueſtris idolis, quorum fractam uim ſcio, & impudentiam, de quibus ſacra uatum oracula nõ inconcinne cecinere, obcaecata, muta, debilia, atque obſcura uocitantia, nec Dei immortalis, incomprehenſibilis, & nõ niſi inter nubes perſpecta mortalitati maieſtas Taurorum ſanguinem, pecudumque balatum, fumantes ue aras, & uaporãtia thura requirit: animorum pietate laetatur: id in mortali, quod nobiliſſimum eſt, expetit. haec quae uos geritis funeſto in cultu, uictimarum poenae ſunt, non ſacra: Deum petra, metalloque circumueſtitis: in ligno ponitis numen: inſanum conſilium, & ſtultiſsima

ma intelligentiae ratio: & poſtea gymnaſia ueſtra attollitis, interq. ſidera Philoſophorum ſectas locatis. enimuero, ſi iſta creditis, (utinam fides ueſtra ab his alieniſſima eſſet) pecudes mortalibus multum antecellūt: hae, etſi uno ictu, luce, & ſenſu priuantur, captantes tamen auram, Deum opificem ſui recte noſcunt, ſecutae naturam. homines, omni bellua taetriores, in Deum nefarie armantur; &, quem in excelſo caeleſtium ſolio orbium calcantem aſtra, feliciſſimeque regnantem, nequeunt laedere, uulnerareque, in ſectatores, cultoreſque illius iras,& furorem effundunt ſuum. quamobrem, ne defenſor Chriſtianae ueritati detrahatur, ipſa non muliebriter pro defenſa Chriſti religione cadam: ſatis iam firmata aduerſus diras, & flammas, mucronemque, & ſi quid immanius ueſtra repererit rabies. habes me nudam ab amicis, & conſanguineis, ultro proditā a patre: non opus eſt legionibus, non integris cohortibus, aut manipulis, turmisque: nullis murorum propugnaculis uallor: nulla manu circumdor: exarmata in conſpectu tuo ſum, non Chriſti tamen nudata auxilio. non deſunt, nec deerunt, Marciane,in Chriſtianis caſtris,atque praetorio,ad Chriſti Imperatoris, Saluatorisque noſtri prolatandum imperium, parandamque laudem Scaeuolae, non Coclites, non Curtij, Decij, ac Scipiadae: acrior apud nos animorum impetus, & alacrior uoluntas reperitur, quippe qui uitam in miſeriis,mortem in felicitate locamus. libet experiri nunc animos, uireſque, atque ex puellaris euentu certaminis metiri fortiorum praeſtantiam, atque uirtutem. ſed turpis Chriſtiano in ore iactantia: & pugnaturos pauca decent. Ecce ipſa, Chriſti confiſa uirtute,ſperno idola ueſtra, contemno minas: ſceptrorumq. gloriam derideo: opto mori, & pugnando uincere: caue tu modo, Marciane, ne lentior, mitiorque in decernendis cruciatibus eſſe uidearis, quam ipſa in perferendis. maiori

tibi

tibi profecto dedecori erit, uinci a puellà. ſed noueris, nihil aduerſus Chriſtianam pietatem Deos audere tuos. hoc tibi ſolatium corruiſſe cum illis. Qua oratione non mediocriter Marcianus incenſus, (quippe qui lenitatem ſuam, non apud Virginem ſpretum iri iudicarat; ſimulque pellectus forma, ac nobilitate, expulſo animis Chriſtiano cultu, eam ſibi thoro deſtinarat) offenſus etiam arrogantia uerborum, imperat lictoribus, ut nudatae Virgini diro uerberum ictu carnem dilacerarent, accenſisq. teſtulis, criſpatoque duriſſimi pili cilicio attererent plagas. fluere extemplo hiantibus ex uulneribus ſanguis, rigari undique corpus, tumeſcere obices, uterus, femoraque deglubi: non degener a priori uitae inſtitûto conſtantia, & generoſitas proſpecta in Virgine cum pietate ſpectantium. Ceterum tyrannus, adeo afflictam, debilitatamque iubet carcere occultari, maiora, atrocioraque animo uoluens, immitis homo, conſultore Dioſcoro, & Gerontio Miniſtro, profligatiſsimis mortalium, eo furoris, irarumque deuenerat, ut multum honori ſuo detractum crederet, ni ulciſceretur uirginis faſtum, frangeretque pertinaciam. Sed Barbara, inter acerbitatem uulnerũ, ardoremque, meditari caeleſtes uoluptates, ſemper illas aeternas, Chriſti etiã paſsi dolores, & regnantis gloriam, ſimulque aeternos damnatorum apud inferos cruciatus. mox, diuino circumfuſa lumine, haurit diuinam uocem, forti animo eſſe iubentem, propoſita ante oculos certa ſacrati, aeternique thalami ſpe, & breuiſſimorum fine, & periodo tormentorum. ſimulque ſenſit medicam manum, pulſis procul omni ex corpore doloribus, receptaque ualetudine, integris membris. Erat Barbarae familiaris quaedam uirgo, Iuliana nomine, mirae pietatis, mirae prudentiae, magnae nobilitatis, egregiae pulchritudinis, & eximiae caſtitatis, quae, miſerata Virginis fortunae, illi omnia pietatis officia exhibere: ſo-

labatur

labatur aegram, haud queſtibus, & lacrymis parcens: ſaepe Dioſcori immanitatem, Marciani furorem, & Maximini inſolentiam damnans: ſaepe amplecti, oſculari-que Virginem, & lingere plagas; aegerrime ferens, ſummam Virginis pulchritudinem tam immaniter, foedeque conculcari. Haec, ubi prodigium in corpore Barbarae animaduertit, ipſamque uirginem in tormentorum ſaeuitia, cruentiſſimique procella certaminis audaciorem, fortioremque, haud abeſſe diuinitatem rata, de Chriſtianis a Virgine edocta myſteriis, martyrij inflammata cupiditate, ultro poſcere in ſe poenas, & ſupplicia, prouocare in tormenta ſui Iudicem, laudare palam Chriſtum, illumque confiteri Deum, inceſſare conuiciis Idola, cultoribusque nō parcere, Virginem miris laudibus efferre, illam generoſiſſimam, illam inuicti nominis cognomento digniſſimam, illam lucem terrarum, & uere Romanarum ſuperſtitionum uictricē dicere; ſeque illi precibus commendare; optare una cum illa non indecore cadere. Et Barbara, egregia bellatrix, iam terribilior hoſti aſſurgere, & conſtantia, altitudineque ſpiritus in non dubiae, Chriſti ob amorem, caedis ſpem, & cupidinem ceteros trahere. Iterum Marcianus ſedet in tribunali, iterum Virginem interrogat. quam bene ualentem contemplatus, iubet id deorum beneficio, & magnificentiae adſcribere. cohortatur ad ſacrificia, promit non dignam furore ſuo uocem, ſed blandam, & ſpecie pietatis mortiferam. Et Barbara reſpondit, curatam ſe non niſi a Chriſto: illi egiſſe, acturamq. iam gratias: deos uero gentilium non niſi furias, & ſpectra eſſe, nec propitia alijs, nec opitulantia ſibimetipſis. Tunc Marcianus, crudelius in uindictam igneſcens, facibus latera diuexari, ſacrumque caput, adeo ſublimia ſpirans, malleo obuerberari iubet. par poena Iulianae inflicta, maledicenti Idolis, Chriſtumque confitenti. Ingens ſpectaculum anguſta in are-

na

na cernebatur, duarum fortitudine puellarum, faſcium proculcari terrorem, & uinci barbaram immanitatem, atrociſſimaq. tormenta, & Auguſtorum eludi iuſſa, cum ingenti Idolorum ludibrio, pleriſque ciuibus ad tantam conſtantiam obſtupefactis, diraque Marciano, ac Dioſcoro imprecantibus. At ambarum uox, plena fiduciae, elatusque obtutus. corde Chriſto uota effundebantur, petebaturque auxilium, uigente quidẽ ſpiritu, languente carne. Et Marcianus, non eam generoſitatem, ſed cõtumaciam exiſtimans, utrique ubera ſcalpello ad geminandam poenam effodi, propellique pectoribus innuit. Verſae in caelum Virginum luces: rurſusque caeleſtis ad mitigandum acerbiſſimum cruciatum expetitus imber,& dulcedo. rurſus effuſae preces, & actae etiam gratiae, uoce altiſſima, & per omnium reboante aures. Marcianus,ſuſpicatus, diſtractis Virginibus, grauiorem unicuique geminari dolorem, aut euinci poſſe, Iulianam, ut minus bellicoſam, & tironem, carceribus mancipandam, Barbaram uero, uti glorioſiſsimam Imperatricem, ingentiumque uictricem cruciatuum, deſudatamque non raro in palaeſtra uirtutum, nudam per ora hominũ, uulgique oculos traducendam, rurſusq. flagris concidendam mandat. Sed Barbara, etſi pudentiſsima, caſtiſsimaque, illam ferre pari animi celſitudine ignominiam, qua priora ludibria; precabaturque Deum, ne impudicos animos,& impura pectora nuditate ſua ſatiaret: ſe non niſi ipſi, qui crearat omnia, cuiq. omnia paterent, & genitrici, nudam uiſam: tegi ab eo caelum nubibus, crebriſque terrarum molem ueſtiri nemoribus potuiſſe: ſi expediret, ſi illi placeret, uelaret quae turpia, & obſcena uiſu, nec in adſpectum caderent, dicebat. Vix completa oratione, tranſſcenſum ad arcana caeli, flexum diuinum in opem numen. Emiſſus illico Angelus, qui praecandida ueſte obtexit. quae haud intueri fas in femina, auertitq.

tur-

turpitudinem cum perſtricta ſpectantium luce. Ouantem iam Barbaram, & hoc quoque Marte aduerſariis ſuperiorem, tangebat ſociae calamitas, & nonnihil obturbare. nec poena corporis, ſed animae interitus (ſi gentilium rabie, blanditiisque cogeretur deſerere pugnam, adoratisque Romanis numinibus, Chriſto terga uertere) timebatur. Sed animus puellae, ſemper Dei conſiliis, nutibusque intentus, ut iuuari poterat, Iulianam felicem uelle cum palma. Marcianus, imparem ſe Virginibus intelligens, inter uerbera, ignes, cruorem, laniationemque membrorum furibunde crudeſcens, impatiens iniuriae, reſpicit iam ſecurim: imperat, utrique ceruicem praecidi Virgini, uocans in teſtem Iouem, & ſuppliciter Veneri uota exſoluens. Tunc exſultare laetitia Dioſcorus, ridere, &, Barbarorum more, tripudiare: haud tot ludibriis filiae, cruciatibusque contentus, ipſe in conſpectu populi ante Tribunal (horrendum dictu, & nefas) uictimae ſe Sacerdotem profitetur: ducit Virginem ad proximum collem, (qui primi exſtiterat teſtis ſceleris, atque furoris) ueluti Dianae ad aram Scythicae, ut ſordeſceret uetus Aulidis fama, nouo ſpectaculo, Iephthica uota aemulaturus, ſparſurusque, quae genuerat uiſcera, polluturusque infandum pectus, dextramque Virginali cruore, daturus nefaſtis Idolis ſacratiſsimam uictimam, illis tamen non felicem, cum uniuerſae ciuitatis gemitu, ipſis etiam maiorum animis lugentibus. At non iſtis angi Virginis pectus. affixa quippe ſideribus, non niſi diuina metiri, & prehenſare: quo periculo propior, & caedi, eo maiora gaudia uultu, motuque praeſeferre. eadem ſerenitas oris in ſocia emicare. tranquilliſsimae ambarum faces oculorum, cum uſtis pietate ſpectantium pectoribus inter ſe occurſantes, immenſam eundi in amplexus cupidinem, & nouiſsima libandi oſcula, gignere, incitareque ſimul in proelium. Barbara, non priſtini obli-

ta moris, ſolatur precibus animum: affatur caelum: diuinam elicit uocem, teſtantem thalami decus, laeta omnia, ſempiterna, & maxima. Itaque, conſalutata ſocia, praeſtantiſsime inuictum collum protendit, excepitque ictum, taeterrimo parricida funeſtante ſecurim. Iulianae mors lictoris eſt donata manui, & ideo turbis non adeo lacrymabilis uiſa: ambae felices decertarũt, ambae glorioſiſsime uicere, auguſtiſsimeque triumpharunt. earum corpora ſub noctem Valentinus, (de quo ſupra diximus) uir eximiae pietatis, ſubmiſsionisque, ſublata, ad Gelaſſum, duodecim millibus paſſuum ab Euchaitis diſtantẽ, honorifice, pieque humauit. Ceterum, indigna tantae dignitati ſuperis ſede uiſa, alio feliciori caelo, auguſtiorique urbi diuina clementia, Virginis corpus deſtinabat, Venetiae, Chriſtianis uel aeternae cunabulis ad id electae arx libertatis, proruente Romano faſtigio, immitiumque in nos effundente populorum barbariem Sauo, pandenteque ſinum in excidia noſtra Aquilone, Italiae decus, emporiumque populorũ, fruſtra hoc ſua inter ornamenta Placentia oſtentante, iactanteque, clari in Italia nominis opido, Romanorum olim Colonia aduerſus Tranſpadanos. At non laetum ſua fecere ſcelera Dioſcorum. reuertentem enim a caede, mactationeque uictimae, dum cum ſociis, & comitibus factum effert ſuum, mortuaeque inſultat etiam natae, Chriſtumque impuro ore laceſsit, diſcuſſum caelo fulmen cum fragore horribili, & uoraci flamma, teſtatum impietatem, teſtatumque facinus eſt depaſtum, pauidis, exanimatisque, qui circumſteterant, haud leui concuſſo metu (poſtquam rem accepit) Marciano. ſic nefaria miſſa felicibus ſpiritibus uictima, ſic parentatum parricidio. non fruſtra fulminat caelum, euibranturque haud incaſſum in nefarios irae. Stultum eſt aduerſus ſuperos bellare. aeternus luctus, gemitusque pro uictoria, flammae, cruciatusq. pro manubiis

nubiis

nubiis reportantur. Ceterum in hoſtili terrore, praecla-
riſsimaeque trophaeo Barbarae nos (ut ita dicam) illam
pro Chriſtiana Minerua, & Bellona colimus, haudqua-
quam aegide terribilem, gorgoneque fulgentem, inter
ſaga, patentesque Iani fores, ac tonantem, fulguran-
temque Iouem, adeo, ut pridie Nonas Decembris
(Chriſtianis hic dies Faſtis aeternus pro tam
ſingulari Virginis uirtute, morteque,
inter militarem clamorem, hilari-
tatemque flammariis tactis
igne machinamentis,
concrepanteque
tuba facile
declare
tur.

S. AGATHA V.

CAtana ad Aetnae radices ſita montis eſt, Naxiorum olim Colonia, maris fluctibus alluitur, urbs nobilis, & frequens aedificiis, fertilitatis mirae, agris Aetnaeo cinere ſuperfuſis, uel ad luxuriem uiti, & pecore exuberātibus, euibrāteque flammarum globos, & denſam nubem Aetna, obtremente ſolo, pauida mētu ſui. Ex hoc opido Agatha traxit ortum, nata Vlpio, & Proculo Pontiano Conſulibus, in patria mactata poſterioribus ſaeculis ad famam ſempiternam, & monumentum. domeſticae illi imagines clariſsimae: nemo illa in opido nobilior, nec ſplendidior natalibus: non mediocres fortunae decori nobilitatis pares: multum nomen: pulchritudo poſtea Virgini inerat tanta, ut Sicilia tota de ea loqueretur, aucta per morum ſanctitatem, & caſtimoniam, excellenteſque uirtutes, & ſapientiam, procul omni ambitione, & cupidine: id quod in puellari aetate magnos ſolet excitare fluctus, mortalium animis ad aſſentationes, populareſque auras molliter captandas pronis. initiata Chriſtianis caerimoniis, uiduata parentibus, curam rei domeſticae ita ſuſcepit, ut numquam a pietatis officiis retardaretur, in egenos liberaliſsima, alloquio mitis, animo demiſſo, compoſita ad obſequia maiorum, nulli impacata, uerecunda, & omnium uirtutum genere efful-

*praſini
gens, non ſinuoſis uti ueſtibus, non gemma capillum inſignire, aut unguento linire, ſed ſerico hyanthini uelo coloris (quod adhuc adſpicimus Catanae) obtegere, dies noctibus haud raro inter precandum iungere, interdiu ſolo ſaepe procumbere, recitato Dominico eloquio, aut Angelica ſalutatione: cibum haudquaquā ad ſatietatem deſumere, ne Eurota Lycurgi inſtituta, diſciplinamque ultro iactaret in gloriam ſui, iiſdem plus aequo turgente praeconiis, extrema Italiae ora, Pythagorae quondam ſectatrice, ex affluentiſſimo ciborum luxu ad inſignem frugalitatē reuocata aduenae uoce, exemploque, uel Mnaeuim, ſideraq. Chaldaica, & Minois, ac Lycurgi ſepulcra ructantis. Interim otiū Virgo nacta, fruebatur tranquilliſſima pace cum Chriſtianis omnibus, Romanorum furore armorum extrema quatiente terrarum. nihil in umbilico nouatū imperij. prorſus ipſa Chriſtiana res ſecura, cum gloriae, & prolis incremento, concurrentibus in ipſa noſtra ſacra integris nobilium gregibus, & puellarum choris, tanta pietate, feruoreque, ut Daemones ipſi, noſtrae ſalutis hoſtes, non mediocriter trepidarint, diffiſi artibus, uiribusque, cum extemplo ea caeli ſerenitas (ne marceſcerent otio noſtri, & deſidia torperent) foedo perſecutionis, uel multo antea ſignis, portentiſque praenuntiatae, imbre turbatur, expelliturque. ambobus enim Philippis, patre Veronae, in urbe filio, in rebelles molientibus arma, Gordiani Auguſti manibus datis, Decio, Bubalis in inferiori Pannonia nato, egregiae uirtutis, & nobilitatis, ſumma rerum ab Illyricanis copiis in Caeſarem, Auguſtumque acclamato defertur. is odio Philipporum (quos obſcuriſſimis inter Arabas natalibus dedecentes Romanum nomen, ceſſis ad auroram Partho regionibus, per infame foedus Gordiani Auguſti, & Meſithei generi nobiliſſimorum ſanguine uirorū percuſſum, ſimul ad tegendam uitae turpitudinem, atque ignauiam

Chriſto

Chriſto dediſſe nomen interpretabatur, uel ſaecularibus ludis poſteritati memorabiles) mite alioquin, moderatumque ingeniũ in Chriſtianos exacerbauit, tanta odij, ultionisque libidine, ut per biennium, quo regnauit, atrociſsimas ediderit caedes, foedatis hoc uno ſcelere eximiis (quibus ſplendebat) uirtutibus. nemo enim per illam tempeſtatem illo fuit, aut conſilio acrior, aut promptior manu, aut moderatione inſignior, imperitandi ue peritia, tantae deinde modeſtiae, & animi magnitudinis, ut, Patris patriae cognomento contentus, omnem poteſtatem Senatui communicarit. id poſt occaſum Romanae libertatis inauditum, cuncta Caeſarum uorante libidine. Sed, uix Auguſtalibus inſignibus, trabeaque exornatus, ad omnes prouincias (qua ad Tygridem, Euphratemque, quaque ad intima Africae Romanum expanditur ſolum, aut Tanais, Oceanique margine ſtringitur) dirum, exſecrandum, ſceleſtumque emittit edictum, quo diriſſimis, inauditisque Romanae lenitati ſuppliciis ſterni Chriſtianorum corpora iubebantur. Iamque ipſe Decio filio cognomento Etruſco Caeſare appellato, demandataque cura ſcribendarum legum, atque cenſura Valeriano, acerrimo uiro, inſignique duci, in Perſas expeditionem ſuſceperat, ſuperiorum felicitate temporum praetumide inſoleſcentes, quibus caeſis, fuſisq. uictricia arma, terribilior in Gothos Thraciam, Moeſiamq. effuſe populantes uerterat, non minori uirtute rem Romanam aduerſus incognitum hoſtem tutaturus, niſi obſtitiſſet ultio diuina haudquaquam longũ ad tempus dilata: contracto ſiquidem cum Gothis certamine, filio fortiſſime dimicante, cum ingenti barbarorũ ſtrage, atque inter tela, haſtasque exſpirãte, a Treboniano Gallo Moeſiaci exercitus rectore, ultro proditus, capeſſit fugam, cumque equo uoragini illatus nuſquam cõparuit, miſerabili excidio ueterum geſta Deciorum renouans,

nouans,inter hoſtiles ſemper acies,ac funera cadentium. At confeſtim ea Deciani tempeſtas edicti in Siciliam defertur,cum horribili hominũ ſtrage, & uaſtitate urbium, ita, ut Phalares, ac Dionyſij excitati ab inferis uiderentur, uel cum cupidine Punici dominatus, nouis Perillis ad humani generis internecionem ſubito emergentibus. Decernitur ea prouincia omni frugum ubertate inſignis, Romanaeque nutrix olim plebis, Quinctiano, per turpitudinem, & dedecora laticlauij honore inſignito. is, in inſulam traiiciens, alter Verres, omnia uenalia habere, omnium inhiare fortunis, quaeſtu, & libidine cuncta perpendens, inter oſcula, & Venerem ſaeuus, arrogans, & prorſus praetoriis faſcibus indignus: &, ſi priſtina Romani Senatus ſtetiſſet auctoritas cum integritate, inter decoctores miſerrime ſpiritum duxiſſet. nam homo nefarius, ex imo ad celſa elatus, cruentis manubiis, repente diues, fortunam, & ludibria eius, egeſtatemque (qua pridem preſſus fuerat) anxie pertimeſcens, nouum hominem in purpura ueſtierat. Cum Catanam ergo deueniſſet, ut cupiditatem praedandi impleret, imprimeretque libidinis ueſtigia, auide omnia rimari, & circumſpectare, miniſtrorum ſollertia adiutus, qui, iiſdem ſcelerum diris exagitati, in immanem, inuſitatamque nequitiam deuenerant. Igitur de Agatha ſtatim edocetur. Splendor natalium, formae dignitas, amplitudo fortunarum, liberalitas, comitas, & caſtimonia illuſtrem facile uel praetorio reddidere. Tunc Quinctianus, inſita cupiditate, metiri nobilitatem, & pulchritudinem Virginis, uorare fortunas,in ſpem erigi per faces ſibi iungi Virginem poſſe, haud dedignaturam ſecurium terrorem, oſtrique dignationem. ſtatim id impuro homini perſuaſum,praecipiti in commodum ſuum mortali uel inter ardua; angi tamen pectora, & crude emacerari, nec mitibus turpiſsimae libidinis facibus aduri,non in forum prodeunte Vir-

gine,

gine, non inhiantibus communicante pulchritudinem, lucemque oculorum. iamque cupiditas in inuidiam, odiumque parietum (queis ingentia Virginis decora ſaepiebantur, tegebanturque) tranſierat, ſed in tacito hominis cruciatu oblatum opportunum remedium, & occaſio, indagantium diligētia implenda ad uota poſſe ſubiici uirgarum metui, uel expugnari precibus Virginem Romanis a ſacris, diiſque rebellem. auidiſſime id uſurpatum a Praetore, miſſis lictoribus accerſiri Virginem, rapique in conſpectum iubente. ipſe adſpectus facile teſtium fidem, opinionemque Praetoris tranſſcendit: deliteſcentes ignes extemplo flammas late fundunt, torrent hominis uiſcera, impatienter quietem eripiunt, dum eximiam oculis formam legit, dum haeret uultui, dum occulta reuoluit animo, gaudet, & maeret. prima hominis oratio blanda: (aulicis quippe artibus, & adulationi aſſuetum ingenium facile effingi, uoluique) multa de nobilitate generis, de pulchritudine, gratia, praeconioque uirtutum, multa etiam de ui, & poteſtate Auguſtorum, deque ſua erga ipſam beneuolentia commemorãtis, perque uerborum amfractus, & ambages taedarum cupidinem, & ſpem iniicientis. apud ſcortum acceptus ſermo, & gratiſſima pollicitatio: uilis, & abiecta apud Virginẽ: ſpernere quippe uiſa Praetorem, & deridere pollicitationes, & uerba, non ſine ingenti Quinctiani rubore, & tacito gemitu. itaque, ut aulae decus tueretur, ſimulq. omnia prius experiretur, quam ad tormenta recurreret, Aphrodiſiam celeberrimum in inſula ſcortum, ſibi accerſendam exiſtimauit, facilius circumueniri Virginem poſſe ratus arte muliebri, eodem ſexu non pudorem, munimentũ caſtitatis, inter mulieres ſecernente. erat Aphrodiſia aetate iam in ſenium uergens, &, ſicut pulchritudine in primaeuo flore iuuentae gratioſa, ita in ſenecta artibus, & libidine maior, haudquaquam miteſcente

uenere defectu uirium apud ſenes, aucta cupidine, docta per plurium amplexus, & mores uerſare ingenium, rimari alterius arcana, mollire iras, &, ſi daretur occaſio, cum ſui ſpe commodi, irritare, fingere, & elicere lacrymas, & riſum, canere, ſaltare, uti facetiis, & procacitate, uſurpare modeſtiae ſpecimen ad illiciendos, euinciundosque adoleſcentium animos, nouem etiam filiarum ſobole nobilitata, uel caſtiſſimae pertimeſcenda. proles matri non abſimilis, cum lacte hauſtis artibus, & turpitudine, genitrice potior decore iuuentae. ea celſior, digniorque, quae per plurium uolutata libidinem, & amplexus expugnaſſet iuuenum pudicitiam, corrupiſſet filiosfamilias, aut inter obſcena, agitando corpore palmam reportaſſet. Tam praeclarae cohorti, & ueteranae expugnanda diuinae Agathae traditur pudicitia, Aphrodiſia anteſignana, ingētibus Praetoris onerata promiſſis, ſi eius opera Agatha, ſalutaribus conſiliis abiectis, percolendaeque uirginitatis propoſito, ſtrata Praetoris libidini ſuccumberet. prouinciam ſuſcepit meretrix, pauca pollicita, &, quaſi anceps de pugnae exitu, & prope timida, quo acrius Praetoris animum inflammaret, uotique ſimul, ſi compos ipſa facta eſſet, ampliorem mercedem a Praetore referret: atque ita nobilis Virgo in Aphrodiſiae lupanar ducitur. indigniſſima res cunctae uiſa ciuitati, nobiliſſimam Virginem, tantae exiſtimationis, & gloriae, tantae honeſtatis, & ſanctimoniae, ciuem ſuam, ſcorti nefarij, impudentiſsimique gymnaſiis, ludicrisque mancipari, neque id uetuſtis temporibus Tyrannorum dominante crudelitate uſurpatū: nihil de Phalaride, aut Agathocle tale ſcriptum, nihil de Dionyſiis auditum: & nunc, togato ab homine, in continentia Romana, & ſanctiſsima diſciplina, uel talia abhorrente Principe, in ſummo otio exerceri: non apud ſe Thracum uirginum morem eſſe: non templa Anaitidis

cerni:

cerni : nec optari dicenti. Vix indignantis ſenſus pectoribus occluſus, & ira : at Agatha eo ſe diligentius, & accuratius praemunire, attollere aggerẽ amoris erga Chriſtum, excitare propugnacula fidei, in ipſa moenium corona, interq. pinnas, diffundere ſagittarios optimarum cogitationum, comportare tela dimiſsionis, & tolerantiae, faceſque caritatis, ſimulque optimo propoſito, arcana cordis cuſtodire, occurſaturiſque claudere cupiditatibus portas, non negligenter circumſpicere omnia, & haud pauide Chriſto diffidere, altiſsimamque circum ſe foſſam ducere, uoluens apud inferos, quae cruciatuum genera, quae poenae, aut ſupplicia in ſontes exercerentur. igitur, ſcelerata tecta intrans, cum plauſu a ſcortatoria cohorte excipitur. apparatur lautum conuiuium, ſplendidiſsimae epulae, optima uina, thorus molliſsimus, inter odores, & ſarta Melitenſi, aut Paeſtana roſa puluinaria, interque lintea tenuiſsimi lini ſternitur, ſuſpenſis ad parietem libidinoſiſsimis imaginibus ſcite pictis : blandiſsima ingeruntur uerba, nunc a ſingulis, (quo minus uiriũ pudor haberet ad ſuſtinendos impetus) nunc ab uniuerſo conſilio commemoratis paſsim uoluptatibus inter amorem, & uenerem, omnem mortalitatis ſenſum ea uoluptate euinci, dulcem inter uitalia mortem, & ſuſpiria : ludentem poſtmodum circa latera ſobolem, & iucundos infantium uagitus, atque blanditias, id diis acceptiſsimum in tanta corporis dignitate, & in tot fortunae ornamentis, nulla ſpe, & praemio, certa deliratione iuuentae florem, inter tormenta, & cruciatus obtundere, ne ſapientiſsimis, & Stoicis uiſum : daret aliquid iuſtis aetatis precibus, & uotis : daret amori Praetoris. Si ſciret uti fortuna, feliciſsimam fore : inter Romanas nurus non ignotam : remitteret rigorem animi : pelleret fronte nubes : molliret obſtinata pectora : uelle eadem non ſemper licere, iactante. Sed, ſurdis Agathae

auribus, ad oculos uis, & oppugnatio uerſa, quibus ſtratis, facilem patere uiam ad triumphum credere. puellari quippe in pectore acerrimum incēdium exſuſcitat apprehenſa oculis Venus; &, ſi prius cogitatio affuerit uoluptatis opinione earum maioris, uberiorisque, quam facta poſtmodum experientia, prorſus intolerandum. igitur foeda omnia, & turpia obiecta Agathae. nudata pectora: extenſae ſuggentibus mammae, & lingua, criſſatio, tactus, ſonus oſculorum, amplexus, ſaltus, & Virgo deiectis ad ſolum oculis, aut ſublatis ad caelū, Chriſtum animo caſte amplexari, illum contemplari, debellareque honeſtate inſultantium petulantiam. ita ab hac parte reiectae, fugataeque meretrices, obtrita illa procacitate, & impudentia, uertunt ſe ad ſupplicia, & poenas, diriter infrendunt, acerbiſsima minitantur, uehementiſsime dolent, non omnium mentibus imperitare Venerem, aut eſſe caſtam in Ciuitate, ſimulque foediſſimarum reiectam libidinum ſuarum ſocietatem, abnegatumque foedus. fatigant Virginem inedia faſtidientem ab initio meretricium luxum, quietem laſciuiſsimis, obſceniſsimisque cantilenis interrumpunt, ſedenti orantique bacchabundae, & meretriciter obſtrepunt, & laſciuiter, inhoneſtiſsimeque circa ludunt, remittitur oppugnatio colliſis machinis: rurſus inde accenditur ui maiore, & audacia, meretricibus turpiſsimum ſibi eſſe iudicantibus in arce impudentiae inter flagrantiſsimas, turpiſsimasque libidines, & libamina Veneris, interq. trophaea uictarum animarum, & amantium fletus, ac funera bonorum, uel integris, opulentiſsimisque patrimoniis ingurgitatis, ſaepe uincere aſſuetas, nulla pudoris acie debellatas, tenella a uirgine ſuperari, & fundi. Et Agatha ſaepe uictrix non dubia de diuino auxilio praeſtantiſsime decertare, feliciſsimamque ſibi augurari uictoriam, triumphumque ex diriſsimae euentu pugnae, & poſt ho-

mines

mines natos periculoſiſſimae, multis inter cruciatus, laniationemq. membrorum inuictis, ipſa poſtmodum ſtratis libidine. inter omnes enim cupiditates, quibus hominum uita torquetur, nulla impotentior, flagrantiorque Venere reperitur: haec, uelut Imperatrix, & Gubernatrix, ſedit ad clauum, iuraque praeſcribit turpia, indigna, prorſusque nefaria: pauci tamen illius uim, poteſtatemque effugiunt, fugiundo (ſi forte bellum Dei ſuccinctus auxilio (aliter tibi fiſus fruſtra pugnas illi indixeris) potius quam dimicando ſubactae illius palmam, trophaeumque retuleris. ita pietate Virginis ſcortatoria ſuperata ludibria, triumphata impudicitia, & meretriciae dirae. quod intelligens Aphrodiſia, tribus & triginta iam elapſis diebus, ex quo uallari, obſideri, & quati Agathae uirginitas coeperat, fatetur in conſilio, uictam ſe, & omnes artes: fractaque animo, neſciente pudorem uultu, ceterum haud obſcuris irarum notis obſignato ad Quinctianum reuertitur: rem geſtā cum implacabili dolore enarrat: prius ſolui poſſe machinam terrarum, aſtraue rorari aequoris fluctibus, priuſque molliri ferrum, liquatique in plumbi uerti naturam, aut ſaxa aquae, torrentisque ad morem, uſumque decurrentia fluitare poſſe, quam uirginis frangi pertinaciam, expugnarique pectus affirmās. Qua ignominia uehementer inceſus Praetor, ſtatutam ante tribunal Agatham truci ſupercilio, & ſuperba uoce interrogat, liberae ne, an ſeruilis condicionis eſſet. Agatha ſe non alterius imperia ſentire, pati ue, natales ſuos probe uniuerſae Ciuitati notos, & genus, reſpondit. Et Quinctianus: Cur ergo (inquit) ſeruiles animos, moresque induiſti? dedecent talia Virginem: nec in teſtimonium nobilitatis uerti poſſunt. Et Agatha, Ieſu Chriſti ſe ancillam eſſe, illi obſequia, & ſeruitium exhibere: nec tamen iſtam animi religionem cadere in ſeruitutem, ſed in ſumma felicitate ſupra Regum faſtum,

&

& purpuram collocandam, dixit. Et Praetor: Ergo non tuae poteſtatis es: uerum e duobus in praeſentiarum tibi optio datur, aut ſupplicandi diis, praeſertimque Cereri, ueſtram apud Ciuitatem religioſiſſime cultae uirginali laetae miniſterio, inſuetaeque adſpectui uirorum,& Auguſtorum ſimul iuſſa capeſſendi, aut diriſſime profundendae animae. in re certa nulla eſt trahenda mora. Et Agatha: Rogabo Ieſum Chriſtum Dominum meum, ut uxor tua (ſi thoro fortaſſe es alligatus) talis moribus, & gloria euadat, qualis amorum Regina Venus, quam haedorum fibris ad Paphum placatis, & tu, haud abſimilis Ioui tuo, quem uos, maioresque ueſtri largitorem rerum, & felicitatis exiſtimatis, inter uiſcera taurorum, & libamina. Indignatus ad hanc uocẽ Quinctianus, tundi peracerbe os Virgini ad expiandum (quo dij laceſſiri, carpique) piaculum iubet. Ad quem Agatha: Imprudenter facis, Quinctiane, (qui prudentis perſonam ſimulas, certe praeteſers) & haud Romana aequitate dicentis ſermonem perpendis, cũ omnia apud uos omina uehementer accepta, hisque addictam non incurioſe gentem Romanam multorum ſermo uulgarit, teſtenturque tot ueſtrorum uoces Hiſtoricorum, & tu contra patrium morem (cum tuis te diis quam gratioſiſsimum apprecarer, & uellem) praeproperus ruiſti in contumelias, & iram, profecto non ſine tacita ueſtrorum ignominia Deum, qui ſi numinum uim cõtinent, cur his adaequari dedignaris? ſi gloria, auctoritateque hebeſcunt, cur, funeſtatis animantium cruore aris, eorum itis in uota, & iuſſa capeſſitis? ueſtra iam ſum confeſſione contenta. Iactare caput Praetor, & minitari ſupplicia, conſtantiſsime excipiunda ad tela Virgine ſtante. Haec dies diſputationibus traducta. Virgo iuſſu Praetoris ſtricta uinculis, & taetro carceri mancipata. Fama eſt, euntem in uincula Virginem tanta exſultaſſe laetitia, ut ad nuptias,& choreas properare

rare crederetur. confirmatis piorum animis ea inſigni uultus conſtantia, atque animi celſitudine, trahitur ad reliquorum exemplum in tuenda religione, dandaq. ceruice tenella Virgo, ut intelligatur illud oraculũ Prophetico ore praenuntiatum, ac ſapientiſsime decantatum, „ Elegit infirma Deus, ut fortia quaeque confundat, uere „ mirabilis in ſanctis ſuis. Poſtera luce iterum Virgo ante concionem ſtatuitur. iterum interrogatur a Praetore, per nocturnam quietem, & inſomnia dirius in furorem incitato. laboratum circa uenerationem deorum; (hic, poſt nuptiarum repulſam, & poſt acciſam Veneris rabiem, cupiditati, & ſceleri praetextus obtendi) fruſtra effuſis uerbis, & ſuſceptis quaeſtionibus, reſpectata uis, & tormentorum atrocitas. nudatur uirgo (hoc dumtaxat ex furore hauſtum, non ad praemium, ſed ad poenam, plus licuiſſe uirgis, & ſeruili manui, quam audaciae, & dignitati hominis) ſubſtrictisque palmis ſuſpenditur in equuleum, uerberibusque grauiſsime caeditur, animatumque membrorũ ebur inducto ſanguinis rore maculatur, exuriturque ardentibus laminis corpus. excepta inter uirgarum crepitus Virginis oratio, Deum celebrantis, nullamque ueluti poenam ſentientis. Tunc Praetor, in faſtu, & tolerantia bellatricis dirius exulceratus, (poſtquam ſe inter cruciatus parui fieri uidet) miniſtris imperat, ut Virginis mammillas (quae intactae a uerberum ictu in reliqua membrorum laniatione praeclarius, iucundiusque effulgebant) obtuſa ferri acie ad exaggerandam poenam (hoc amori, furorique datum, poſtquam ori, & uoluptati eſt denegatum, id quod impudiciſsime anhelarat) torquerent, & mox abſcinderent. itaque inter apprehendendum aliquantiſper (cum minime illae tumerent, tenella uirginis aetate, aut iuſtam in magnitudinem adoleuiſſent) eſt elaboratum. pauere lictorum animi pietate, refugereque manus ſcelus, & tremere artus. At urgebat

Prae-

Praetoris rabies, infauſtique ignes poſt irriſum gaudere, bacchariq. ſtrage membrorum. cultro abſciſſum utrumque Agathae uber, ſparſumque humi diffluente cruore cum gemitu, lacrymiſque ſpectantium. At non auertit Praetor oculos: non pietatis ſenſu eſt motus. Tunc Virgo, Praetorem compellans, Dire, (inquit) atroxque, non te puduit amputare in femina, quod prius infans in matre ſuxiſti? unde, ſceleſte, tam immanis barbaries, & tam inſatiata cruoris ſitis? at, age, perfice, quod moliris: haud multũ id mihi curae: aliae ſunt intra me mammae, quas teneris ab annis Deo ſacraui, quaſque nullo uales ſupplicio extorquere. his demonſtrata intelligentia, & recte faciundi uoluntas. Ita affecta Virgo, cruore madens, & laniata pectoribus, attrito decoris flore, adhuc tamen ore egregia, nec fracta animo. iterum (ne afflictae quies eſſet) adſtringitur carcere, omni curandorum excluſa ſpe, opinioneque uulnerum, exiguo pane (ne deficiens ſubtraheretur ſuperbo hoſtis conſpectui, tormentiſque) ad ſuſtentandum ſpiritũ attributo. Agatha, dum membrorum crudeſcit aduſtio, dum uulnera, ictuſque igneſcunt cum ipſius acerbiſsima poena, religioſe Chriſtum laudat, mente illum affatur, & poſcit auxilium, cum intempeſta nocte Petrus Apoſtolus, ad id a Deo lectus, ſeu pie inter caelites a Virgine cultus, ſeu quia id uiſum Deo, ueneranda ſpecie, & cano pilo, criſpaque barba, cum magna medicamẽtorum ui carcerem intrauit, praeeunte puero facem extollente. Tunc ſenis exaudita uox, dicentis: Quamquam dirus, & immanis in te tyrannus fuit, tuorumque captauit in laniatione membrorum laetitiam, & uoluptatem, tamen conſtantia tua, & inuicta uirtute, egregiaque animi magnitudine eouſque perturbatus eſt, ut maius, atrociuſque infligi ei doloris uulnus non potuerit. ignominia, angorque arrogantis eſt, turpiter uel in poteſtate alteri ceſsiſſe. inquiem,

quietem, & rabidum animum ſua poena, ſuae dirae torquent, mactandum ſempiternis poſtea apud inferos ſuppliciis. aderam ipſe, (filia) dum inhumane cruciabaris, dumque inter ferrum, rabiemque euoluebaris: omnia hauſi oculis: nō mihi difficilis curatio uiſa. quamobrem ad excipienda te para medicamēta. Tunc Agatha: Quis ad mea curanda acceſſit uulnera? tuum unde genus? qua ue ex parte terrarū? nullam corpori meo medicinam ab infantia adhibui. conſtituta iam hora in extrema, alteri, corpore nudato meo, patefaciam ictus? turpe hoc Virgini, nec talibus aſſuetae grauius luam, hac lacerata corporis parte, ſcelerū ſupplicia meorum: noxiam poenae decent: exhibebo creatori rerum per hos cruciatus, doloresque expiatam animam. Tunc Apoſtolus: Nulla (excelſa Virgo) uerecundandi ineſt cauſſa. ipſe quoque Chriſtiana ſacra ueneror, Chriſtumque Deum colo. Et Agatha: Meretur tua iſta non mediocres laudes pietas: eſt digna miſericordia praeconio: nec mihi grauitas, aetasque uerecundiam incutit. quis de te talia ſuſpicaretur? ipſa canities, & religio facile dubium eximunt: nec meorum iſta laniatio membrorum, conuulſio oſſium, & torrida cum fetore caro, profligatumq. ſi quid in corpore decus erat, cupidinem ſpectantibus poſſunt ciere. cauendum id in integro corpore, dum omnia uigent, & florent: ſed ego ob id tua reſpuo medicamēta, (ne error in repulſa, aut arrogantiae ſuſpicio inſit) quoniam Chriſtus eſt mecum: ipſe, ſi ei cordi fuerit, abſque medicina dumtaxat uerbo recrudeſcentia mea obducere quit uulnera, proculque amandare dolorem. ipſi cuncta parent: cuncta ipſe moderatur, & regit: ſi placet, conſulat. Tunc Apoſtolus, ſubridens, ſeipſum, quis eſſet, aperit: ſimul uirtute Chriſti, eam ualentem, ac uegetam corpore eſſe affirmat. ſtatimque euaneſcit. Et Agatha, pulſa omni acerbitate, recluſisq. uulneribus, turgentia pectore ube-

ra tractat, uidit fulgentia latera, pectusque; &, deuoluta in genua, Chriſtum ſubmiſſe, actis pro ſingulari beneficio gratiis, laudat, hymnosque religioſiſſime canit: ſaepe iterat preces: quoties ſe ipſam circumſpicit, toties grates Chriſto agit. At, nudatis cuſtodia militum (qui ad aduenientis ſplendorem Apoſtoli, ueluti fulmine icti, exanimatique, cum ingenti terrore aufugerant) limitibus carceris, foribusque patentibus, multi accurrere ad Virginem, (quippe tanta fortunae indignitas, tamque miſeranda innocētiſsimae calamitas omnium uiſcera quaſſarat) rogantes, obteſtantesque, ut ſubtraheret ſe exardeſcenti crudelitati, impotentiſsimae Praetoris irae, atque libidini, ne ue ſineret expleri diriſsimi hominis cupidinem, uerteret in rationem, quae fortuito eſſent oblata, praetergredientem defletura occaſionem, ni modo ſaperet. Sed Agatha, ut erat excelſiſsimi animi, & imperterritae fortitudinis, Abſit a me (reſpondit) turpis fuga, & ignominioſa ſalus cum laureae iactura: non patiar euinci me tormentis, illudique cruenta a beſtia Chriſtianae conſtantiae, aut quemquam alium pro me cruciari. ſufficit hoc pectus ad hebetandum hoſtis mucronem: ipſum hoſtis petat, terga certe non uiderit: cadam nō trepide in ueſtigio, & ut decet Chriſti ancillam. nulla hoc in certamine dabitur effero homini cauſſa inſultandi, laetandi ue. ipſe ſuam damnabit inſcitiam, non doctus in gradu ſtare, aut cominus conſerere manus. qui ſe Deo commēdat, haud incertos ueretur fortunae caſus, proeliique diſcrimen: agat, dum licet, euibret ferrum, utatur uiribus, terroreque ſecurium Praetor, auerſum corpus, frontem, uultusque Agathae uiderit: uos uero recedite, ne pietas apud immanem Iudicem nocentes faciat. ſat Agatha ad explendam hominis rabiem erit: ipſa uobis gratias ago, referat Deus: nulla apud illum beneficij erga ſe, ſuosq. erit obliuio. XIII. die elapſo, rurſus Quin-

ctia-

ctianus moliri Virgini perniciem, rurſus furere, dirisque agitari: minatur, cum ſtrepitu deambulat in Praetorio: ſtantemque ante Tribunal Virginem iterato impetu aggreditur. iubet uenerari Deos, & dare thura cum multa uerborum iactantia: ipſo ſupercilio effulminat ingentes anguſto in pectore preſſas iras. Sed Agatha, haud pauens, irridere uaeſaniam hominis, contemnere uerba, dicta ſpernerenec parcere diis, ſcelera illis, impietatem, inſcitiam, imbecillitatemque obiiciens; Chriſtum dumtaxat fateri, attollere, cuius eſſent infinitae opes, & aeterna auctoritas, ſimul non futile illius auxilium, non exiguam benignitatem, non miſericordiam, nõ tenuem potentiam ſuum teſtari pectus, quod per eius crudelitatẽ, & ſcelus, priuatũ mammis, rurſus iiſdem effulgeat cum dedecore faſcium, cum uerecundia, exprobrationeque facinoris annuit. Quinctianus ad tantam generoſitatem crudeliſsime dentibus infrendens, cruentam torquens oculorum aciem, terensque labia, percuſſo manu genu: Videbo, (inquit) utrum Chriſtus opitulari tibi, uimque aduerſus Romanam ſtare, cumque pugnare Caeſaribus queat: quamobrem medio in Praetorio magnum accendi rogum, ſtratoque ardentibus prunis ſolo, interiectis teſtulis ad lanianda membra, ſpoliari Agatham, euinctisque manibus, pedibusque ſuper uolutari, torrerique iubet: dira poena fortiſsimum quemque exterrente. diſciſsis illico ueſtibus, (nõ enim Praetoria rabies lente nudari ſinebat) nuda omnium rurſus oculis puella exponitur: iniicitur in rogum: ferreis unguibus, & ligneis uallis per ignem, prunas, & teſtulas euoluitur, aſſata cute: ex natibus, ac femore adeps (quippe puellae, ut in prima iuuenta conſtitutae, partes eas carne pinguiori, ut aſſolet, natura magis opplerat) diffluere, ſtridere, & fumare carbones cum ſuffitu taetro, & odore, exſtingui nonnumquam proruente cruore, uenter, & mollia teſtulis fo-

di, & diſrumpi, oſſa exuri, omnia diriſſime uexari. & miniſtri (annuente Tyranno, in communi ciuitatis gemitu dumtaxat ridente) ſtratae Virgini recentes, ardentioresque prunas ſuperfundere, ſubſternereque, & uiolenter latera uerſare. at Virgo, magnanimo pectore, in acerbitate poenarum non obturbari, uoces ue emittere, aut ſuperiorem uitae curſum femineis eiulatibus labefactare, ſed, Chriſtum animo complectens, laniata ouare, ingensque ore gaudium praeſeferre, interque uſtionem carnis, uimque incendij, atrociores in hoſtem eiaculari faces, immanemque hominis animam ea inſigni, ſtupendaque tolerantia generoſe depopulari, uexareque. ſed, dum ita Virgo cruciatur, dum torretur, dum omnis in ea affligenda barbaries ſuperatur, excutitur caeleſtis ultio, armaturque ad ulciſcendum facinus caelum: quippe ingens oboritur terraemotus, parietumque quaſſatio: ſtrataque parte Praetorij, Falconius, Siluinus, & Vlteius, intimi Praetoris familiares, & miniſtri libidinum, ſubito oppreſſi. magnus populo terror incuſſus: res in prodigiũ uerſa, attributa Quinctiani impietati, & ſceleribus. fit ingens tumultus: itur ad arma: conſternatisque ad ſeditionem animis, concurritur ad Praetorium: uix temperatum a caede lictorum. Quinctianus appetitus cõtumeliis, probrisque: & auſpicatura uel facinus ingens, & inauditum a ſanguine Praetoris efferata plebs anxia metu ſui erat, ni ceſſatum a tormentis foret attonito Quinctiano. Intermortua Virgo in carcerem refertur, ſubducta ſpectantium oculis, ne popularis rabies ex cruentiſſimo ſpectaculo in Praetoris caedem prorumperet. Agatha, paulliſper miteſcente uulnerum diritate, expanſis brachiis, apertisque oculis, caelum reſpiciens, tali eſt Deum oratione precata: Maximas tibi gratias ago, Domine, qui me incredibili illa tua pietate ab infantia es tutatus, elargitusque tot bona, omnes cupiditates, omnesque

neſque illecebras ex mente mea expuliſti, quique me uictricem faſcium, tormentorumque eſſe uoluiſti. aeterna iſta tua felicitate, & regali magnificētia excipe animam meam. Ita fata, exhalauit ſpiritum Nonis Februarij, Decio Auguſto tertium, & Grato ſecundum Conſulibus, annos xv. nata. Hoc Chriſtianis incolis nuntiato, ſtatim factus in carcerem concurſus ad inſpiciendum corpus, piis lacrymis a multitudine decoratum, refertumq. odorum copia, ac ſerico uiridi inuolutū, deinde ad latus urbis Septemtrionem reſpiciēs, prope Theatrum ſepultum. Cum uero a piis iuſta fuiſſent expleta, ecce lectiſſima iuuenū manus albenti ueſtitu, facie auguſta, & ſpecie corporis eximia. horum unus ante alios omni dignitate maior tabellam marmoream his notatam litteris, & ſententia (Mens ſancta, ſpontanea, honor Deo, & patriae li-» beratio) manu tenens antecedebat, accolis ignotus, ſicut & cetera turma, ubi ad Martyris buſtum deuenit, adaptata ad caput tabella, euanuit. Tūc piorum turba rurſus hymnos circa buſtum canere, uelle iterum conſpicere corpus, in anguſto loco ualde premi, nec tamen abſcedere. Sed Quinctianus, ubi exercendae in Virginē (poſtquam exſpiraſſe acceperat) impietatis materia defecit, auarum animum ad illius fortunas occupandas conuertit, ueluti, rebellante Agatha a Romana maieſtate, eius bona Fiſco deberentur, ſic, ut aduerſus innocentiſsimam non diritate, ac rabie ſolum, uerum auaritia, (quae praecipua malorum, nec ullū ſine ſe admitti facinus patitur) certaſſe crederetur. Ceterum, felici primo uoto, extremam cupiditatem ultrix excepit ira, nullo ſcelere longum ad tempus effugiunte poenam. In tranſgreſſu Symethi namque amnis, Catanenſium rigantis arua, equorum morſu, ac calcibus appetitus, ſceleratam diro exitu lucem clauſit. Accepta ea caedes libentiſsimis animis, feſtisque uocibus ab uniuerſa Ciuitate. quiſque luiſſe poe-

nam

nam impuriſsimum hominis pectus,trucemque animam, & parentatum eſſe praeclariſsimae Virgini,datum in poſterum documentum pietatis: omnem ſuperis impietatē, & crudelitatem eſſe ingratiſsimam,omniaque piorum illis cordi eſſe dicere: alij,dum Virginis praeconia memorant, dum trophaea,& palmas,triumphosque recenſent, uitam meliorem ad frugem, confeſsi ſcelus, aut abiecta ſuperſtitione, traducere: ſi qui boni excitati, exemplo Virginis ad faſtigium uirtutis auidiſsime cōtendere. Itaque occiſa Agatha multis uixit, multosque ad Chriſtum traxit,cui poſterioribus ſaeculis,expulſa impietate,funeſtisque Idolorum ſacrificiis, Conſtantini Maximi, auguſtiſsimique,religione,ad teſtandam inuicti animi magnitudinem, clariſsimamque uictoriam,& ad gloriam Chriſti ſempiternam, ingens a ciuibus templum, aeternaque ſtatuta ara, attributaque fuere ſacra, ac ſacerdotes, corpus uero argentea incluſum capſula quotannis in magna feriarum celebritate, frequentiſsimoq. piorum illuc decurrentium conuentu oculis exponitur,ad eliciundas lacrymas, (quis enim adeo ſaxei, ferreique pectoris eſt, adeoque ab omni humanitate remotus, ut ad tantū Virginis feſtum, immaniumq. recordationem tormentorum non illacrymetur?) & pietatem. oſtentantur & manus carne adhuc fulgida, oblongae, & pulchrae, non dedecentes reliquam corporis ſpeciem:ſimul & mammae. celebre quoque prodigium cuiuſdam Epiſcopi religione in oſculo manuū animaduerſum. Saepe ciuitati ſalus Agathae precibus, meritisque impetrata. crebrae quoque uictoriae, non de hoſtibus modo Gothis,Vandalis,Mauris, Sarraceniſque, ſed de ipſo Aetnaeo incendio. montem illum, Regiam Vulcani, nixam humeris Gigantum, finxere Poetarum fabulae flammarum globos iaculantē, fumique nubes eructantem, accolis ingentem terrorem. ſaepe Catana obtremuit, ſaepe expalluit, & ſaepe ſub Aga-

Agathae ductu uicit. enimuero Aetna, inſolenter efferueſcens,ſeque in plana ſuffundens, amnis in morem,omnia circumuaſtare,populari, urere, excidere, minitabundusque iamiamque abſorbere Ciuitatem, & moenia circumaſſultare uaſtis ſtridoribus, denſiſsimaque nubium mole, igneisque rotatibus,cum Ciuitas, refugiens ad tumulum Virginis, commendata illi Ciuitate, focis, aris, templisque,ſerico ſumpto (de quo ſupra commemorauimus) uelo, explicatoque uexilli in morem, apertis portis erupit contra incendium, illud expulit, loco mouit, fudit, fugauit, intraque uerticem, & clauſtra infauſtiſsime fremens compulit,coarctauitque. Maior his Agatha, auguſtiorque, quã qui Syracuſas olim expugnauit. mortalis facile uincitur, rarus de ſe triumphus, aut de incendio uictoria: adde inter barbaricam feritatem, uim armorum, luem temporum, faces, ferrumque, in excidio rerũ, inter bellicoſiſsimos, ferociſſimosque Italiae populos, exſtructas arces, erecta monumenta, dicata Agathae moenia, & urbes.

S · EVGENIA

VI ·

EVclidem, nobilem illum philoſophum, & in Geometrica principem diſciplina, memorant Scriptores noctu Megara Athenas commeare ſolitum, muliebri ueſtitu, audiundi Socratis gratia, nequaquã poena capitis, aduerſus Megarenſes Athenas intrantes, ob inſigne duarum Ciuitatum inter ſe odium, atque internecinam rabiem, ſtatuta perculſum. audax ſane conſilium, & amore uirtutis memorabile facinus, ſed obſcurum, & ignobile in collatu Eugeniae (de qua narrationem incipimus) Virgo nocturnum philoſophum exercitatione uirtutis uincit, & cauſſa, praeſtat, & magnitudine animi, & excellentia diſciplinarum. haereat igitur glorioſo ſpectaculo Roma, & noſcat in prole ſua uirginalium armorum terrorem in Iouis olim ſui triumphata uaeſania. Eugeniae Romanae Philippus, & Claudia parentes fuere, praeclarae nobilitatis, uitae exitu felices, & ſanctitate morum. affuit & geminus fratrum partus, Auiti, & Sergij, ad ſplendorem familiae. Antonino Commodo M.Aurelij filio V. & Acilio Glabrione Cõſulibus decernitur Philippo Auguſtalis Aegypti praefectura. Auguſtus ſanxerat, ut Aegyptus Equitũ Romanorum poteſtate loco Regum regeretur, ob turbida ingenia accolarum, & ſoli fecunditatem nutriendis bellis aptiſsimam. igitur Philippus cum uni-

uerſa familia Alexandriam adnauigat: ſuſceptaq. adminiſtratione, id primum curae homini fuit, adiſſe templa deorum, effuſo ad pernoſcenda initia, & incrementa caeleſtium iactante uetuſtatem regionis, deorũq. indigena, ac memorante miracula, ſimul odiſſe peregrinas religiones, & uetita ſacra Iudaeis immiti, diſcordibus illorum ingeniis, & pronis in rixas exacerbato, aduerſus Chriſtianos ita ferrum inhibuit, ut moenibus excluſos ſecure degere in ſuburbiis pateretur mirator eorum continentiae, & pacatioris uitae ſtatus procul Reip. fluctibus. uigebant in homine egregiae uirtutes, animi celſitudo, aequitas, comitas, & erga ſubditos beneuolentia, magnum ingenium, ſingularis continentia, & in regunda familia priſca ſeueritas, & mirificus in diſciplinas amor, antiqua Rep. dignus, & Catoni laudatus, liberos non in luxum, & delicias inter effeminata Aegyptiorum corpora, & mite caelum: ſed in philoſophiae ſtudia effundit. Sed Eugenia, guſtata philoſophia, ceteris multũ antecellere acrimonia ingenij, & gloria uirtutis uel ipſis praeceptoribus ſuperior, depreſſo Lycei faſtu, & Academiae, fruſtra Memphi arcana diſciplinarum ambagibus, & hieroglyphico charactere occultante: & iam inclytum nomen peruaſerat Romam ingeſtis ardoribus: raptaque in pulchritudinis famam curia, exardeſcit in faces eius Acilius Glabrio Conſul, ſicut honoribus ſatiatus, ſic in clariſſima ſpecie, & decantata per ora externorum uenuſtate non mite uexatus. petit in uxorem Eugeniam. affert preces. & genitrix, Auiae nomen nõ occulte ambiens, amplexari promiſſa, fouere auctoritate ſua, filiamque calentem amore caſtitatis allicere in taedarum cupidinem, & ſolatia thalami non deſiſtit, magnitudinem ſponſi ob oculos ponẽs, ſimul & gentilium imagines. Verũ Virgo, ad matrimonij nomen horreſcens, maternae cupiditati non inuerecunde obuiam ibat, laudatrix nuptiarum: ſed caſtitatem amplecti,

plecti, aemula Veſtalium, non mediocriter Commodiani Principatus infamia obturbata, & deperditae luxu aulae inter obſcena Martiae pellicis, quae forma, & leporibus eximia Criſpinae Auguſtae, trecentarumque pellicum, totidemq. exoletorum, uel in funere Lucillae Auguſti germanae uictrix, tripudiansq. decorata ab amante Amazonis nomine Romanum moderabatur imperium. aderant Eugeniae duo fratres Protus, & Hyacinthus, abſciſſa uirilitate, ignobiles, ſeruientesque, ceterum ingenio ſagaci, & ad ampliſſima quaeque idoneo, & dominae excellentia ad ſtudium philoſophiae excitati mirifice profecerant, fide erga illam egregij; &, quantum manſuetudine hera, tantum ipſi demiſſione, & obſequiis certare. Interim Virgo, inter odium nuptiarum, & cupidinem caſtitatis, multa moliens, aſſumit Chriſtianae librum hiſtoriae. forte Thecla illi occurrit, prima inter Chriſtianas feminas pro uirginitate decertans, atque antеſignana in tuenda Chriſti gloria in atrocitate certaminum, protritoque proconſularium faſcium terrore, uictrix inter flammas, ſerpentes, & beſtias, cornuaque taurorum, ut denique uixerat, uicerat, exſpirarat ipſa caſtitate felicior, ingenti edito Virgo gemitu fortunatam Iconienſem appellauit, atque acriori ſuccenſa uirginitatis flãma eandem ſaepe hiſtoriam repetere, inter legendum hilaris, triſtisque, & prona in Chriſtum, eiusque ſacra. ingens perdiſcendae legis illius ardor, alloquendique Chriſtianos Sacerdotes puellam inuadit: ſed, Chriſtiano moenibus excluſo, cupidinem explere non poterat. agit cum genitoribus, ut, relaxandi animi gratia, liceat bene comitatae egredi Alexandria, ad conſpectum Panij, atque Nicopolis, ad uber ſolum, & nobiles amoenitate hortos. uenia impetrata, Claudia filiam ſplendidiſſime comptam multa margarita exornat: attribuit comites, & famulantium turbam: datoque oſculo, natam dimittit cum lacryma.

quaſi conuerſa rerum facie, obductoque nubibus uelo, in ignominiam, & dedecus, in ſeruitutem, & humilitatem. in inopiam, & egeſtatem praecipitat, nullo de praeteritis bonis ex tanto naufragio, tantaque procella ſuperſtite, praeter memoriam, ad cumulum, ſummamque malorum. Intuemini Romanum imperium, (omiſſis Perſarum, Lydorum, ac Macedonum caſibus, funeribusque Graecorũ) caeli aemulum, quantis agitetur fluctibus, quot uiciſſitudinibus ſit obnoxium. quod fretum, qui ſinus, quis eurypus tantos motus, tantos aeſtus experitur? ſint ſane maritimi acceſſus, & receſſus tum frequentes, tum maxime turbulenti: huius tamẽ certamina, & ~~cõcertationes~~, quae *concertationes in intimis continentur praecordijs, & numero, & uiolentia, ac iactatione longiſſime antecellunt. Vidimus, quantum ad hoſtes pertinet, externaque arma, non modo ſtantem, & uiuentem urbem, ſed orbi etiam terrarum imperitantem, & ſubiectis in uaſto ambitu orbis gentibus iura feliciter dantem: & mirati ſumus: uidimus eandem, inteſtinis odijs, per otium, deſidiamque conceptis, domeſticaque potentia gliſcentem, non multum ab interitu abfuiſſe: & ingemuimus, plus ciuibus in patriam licuiſſe, quam hoſtibus, ab illis edita taeterrimae crudelitatis exempla, ne deorum ſimulacris, ac templis, ariſq. parcentibus, proſcriptiones, diſtractas nobilium opes, pulſos in exſilium Reip. principes, &, tot luminibus exſtinctis, orbum forũ, & ſilentia roſtra relicta, aequatas ſolo affinium domos, interfectos familiares, & atrociſſimis ſupplicijs excruciatos, ſpoliata opimis muneribus tẽpla, ciuium capita roſtris affixa, Curiam ipſam (cuius ſententiam omniũ reges gentium reformidant) eorum foedatam cruore, inundatamque, qui hoc nobis imperium, famamque per gentes clariſſimam peperere. ideo ne duas urbes Carthaginem, Numãtiamque huic imperio inimiciſſimas Scipio Aemilianus exſcidit, ut domeſtico ipſe parricidio occideret?

deret? treſque triumphos Magnus Pompeius egit de tribus orbis terrae partibus ſubactis, aucta Romani nominis maieſtate, ut ignaua manu perfide in alieno ſolo necaretur? milleque Caeſar urbibus expugnatis, quingentis edomitis populis, ac decies centenis millibus hoſtium occiſis, & totidem captis, & nauigato Oceano, ut, amicorũ mucronibus confoſſus, laniatusque, Curiae limen foede cruentaret? O inconſtantia rerum humanarum. Caeſarum clades, luctusque praetereo. ſed, quid firmum in terris nutante Roma? nihil eſt profecto in hac rerum uniuerſitate diuturnum: non uires, non diuitiae, non regna: quippe quae uel alienis incurſibus attrita cadunt, uel magnitudine ſua, & domeſticis uiribus obruuntur; nec minus eſt in pace, quam in bello periculũ, hic hoſtibus moenia, ibi animos obſidente luxuria, quae nouo quodam, & placido bellandi genere uictores ſub iugum mittit, & de Caeſaribus ipſis ſpectaculum facit uictis, captiuis, barbaris, & infimae ſortis hominibus irridendum. Iam uero, quanta eſt in uoluptatibus turpitudo? quod maius portentum, quam homines, rationis compotes, ad ſempiternum imperium genitos, belluarũ more inhiare terrenis, feruere aeſtu libidinis, ut hoſtes continentiae, furere more luporum in pares, ut humanitatis omnis expertes, unguẽtis, & odoribus delibutos, luxu diffluere, ut uirtutum omnium ſplendoribus deſtitutos, & caeca uitiorum nocte ſepultos? interim tamen & Catones, Tuberones, Coruncanios, Fabricios, Quinctios, Serranos, & Diogenes, & Socrates, ac Platones in ſermonẽ adducere, & ex abdito antiquitatis ſpecuproferre ſapiẽtes iuuat, alienae uirtutis praecones, ſuae hoſtes, & deſertores. Hos ego uiros appellem? ſed non eſt opus cuiuſquam uituperatione. fructus namque ipſi tam malae radicis, qui perniciem, atque ignominiam mortalibus afferunt, fidem ueritati faciunt luculentiſſimam. Vnde enim morborum genera in

corpo-

corporibus, unde uitiorum in animis, niſi a uoluptate
profecta? plures occidit crapula, quam gladius. plures
ſtrauit libido, quam egeſtas, cuius tanta eſt improbitas,
ut non modo halita uenenum effundat, uerum etiam cō-
cepta luem pariat, & uaſtitatem. His colligendis fructi-
bus uacent, quorum deprimuntur animi; qui ad altiora
erigi neſciunt; quorum obſcurata nobilitas mentis infe-
liciter degenerauit; quos denique ratio propemodum
defecit. at, cui cor ſapit, maiora bona cordi ſint, & eſſe
decet: quibus non modo non inquinatur natura homi-
nis, ſed cum magno decoris fenore glorioſe diteſcat. Ego
quidem, amici, cōtinentiae lucem mente intueor: & ob-
lector. ſubit animum meum tam praeſtantis formae uir-
tus, & reficit: cordi loquitur, & ſuadet. torqueor hoc
muliebri cultu, horum inuidae uagantium hilaritati, ac
cantui. his deliciis excrucior. ſoluite, quaeſo, animum
meum his curis maiora molientem. libeat Chriſti iuſſa
capeſſere, & ſub illius militare uexillo. quam concinne,
quam uere Dei ſui uictorias, & trophaea Chriſtiani ca-
nunt? pudeat Apis Aegyptum ſui: pudeat anilium fa-
bularum in tanta turba deorum. uos auferte monilia, ac
torques: abripite hanc purpuram procul oculis meis, in-
aures iſtas turpis flammae materiem: tondete promiſſum
crinem, puellare ornamentum, telumque. induam uiri-
lem animum cum pallio, patriis diis illuſis: calcabo mor-
talium luxus, Chriſti numine armata: exhibebo uirtuti
nobilem in uili habitu famulatum. His dictis, aſſenſe-
re germani, magnitudinem animi admirantes, ſummum-
que erga uirtutes amorem. laeti conſilium Virginis exſe-
quuntur, capillum illi abſcindunt, uirilem ueſtem inii-
ciunt, unaque intermiſti Chriſtianorum agminibus, ſe la-
teri proficiſcentis ſenis aſſociant: caniturque rurſus a
multitudine, Via iuſtorū directa eſt, uia iuſtorum para-
ta eſt. quod ueluti ſibi dictum laetiſsime excepere Eu-

genia,

errores, aſſurgit in Magum, reluctantem, uociferantemque iacit in flammas, periiſſetque, ni ſanctus Epiſcopus extenta dextera ſemiuſtulatum eripuiſſet. His Helenus ſupra ceteros conſpicuus coenobio inter turbarum cantus appropinquat. Eugenia cum proximis ſermones ciere, appellare, ſciſcitari, & elicere uiuendi inſtituta, ac diſciplinam monachorum. oblatus inter ceteros uir quidã, Eutropius nomine, familiaris Epiſcopi, integris moribus, piisque, interroganti ſatisfacit, nec quidquam illi ſubtrahit ſcitu dignum. mox ingrediuntur monaſterium. quieſcenti per meridiem ſancto Epiſcopo mira in ſomno ſpecies oblata. uidere namque ſibi uidebatur effictum mulieris ſimulacrum, circumferrique honorifice ab hominibus, uel curuato genu cum oblatione thuris, adoratoribus indignantem, hisque deam alloquentem: Ita ne, mortalis femina, nobisque conſimilis, pateris offerri tibi libamina, dari thura, ac diuinitatis decorari faſtigio? & illam faſtu depoſito receſſiſſe a cultoribus, uerſamque ad eum dixiſſe, Te ſequar, donec me ad creatorẽ adduxeris. Excitato a ſomno Epiſcopo, perpendenti uiſum, diuerſasque ad partes animum intorquenti Eutropius nuntiat, tres fratres excellentis indolis, ac pietatis, foribus adſtare ſacrum lauacrum cupientes, & adſcribi ſimul albo monachorũ, haud ſocietate diſcreta ob ſummum, mutuumque amorem. Tunc Sanctus Epiſcopus, praemonſtrante omnia Saluatore, uiſum interpretatur, noſcitque nomina Eugeniae, Eunuchorumque, intromiſſos benigniſſime affatur: magnitudinem pectoris attollit: ſapientiam admiratur: iubet praeſtantiſſimo animo eſſe. expoſitis mundanarum rerum ludibriis, atque inconſtantia alacrius pergere cohortatur: mox ſacra abluit aqua. nec mutationem ueſtitus in Virgine patitur, glorioſius ratus, in ſtola inter caſtra uirorum uinci a femina humani generis hoſtem. At Eugeniae rectores, co-

S mites-

miteſque, obruta noctis ſilentio fuga, tantam iacturam haud ſentientes, inter ludentium cantus Alexandriam repetunt, ſtrepitum currus dumtaxat excipientes, & primi agminis antecurſores in nouiſſimo dominã exiſtimabant, & nouiſſimi inter primos incedere credebant. ſic mutuo decipi errore diuina prudentia ſinit in uictoriam Virginis. cum ex urbe proceditur Virgini obuiam, facto ad eam cõcurſu, tum inanis currus reperitur. tollitur clamor repercuſſis manibus, paſſoque crine. inuocatur Eugeniae nomen. Eugenia flebiliter per ora omniũ reboat. hinc mater, genitorque, hinc fratres in lacrymas, ac maerorem ruere, lamentari, gladios, & laqueos in ſe poſcere, laniare genas, uellere crinen, ſe humi proſternere, & puluere capita foedare. queritantium ululatibus, uocibusque aula, urbsque uniuerſa reſpondere, decurritur ad portum, Pharonque: latebrae, & ſecreta perluſtrantur intentiſſima cura, totaque Aegyptus ad ſcrutandam Eugeniam inſudat: nemo ſibi parcit, nemo labores ſubterfugit, ut Philippo, optime de gente merito, ſatisfiat. ſimul Eugeniae recordatio, ac Claudiae lacrymae in miſerationem, luctumque impulerant omnium animos, Cereris memoria renouata, ex raptu Proſerpinae perpetuo implexae luctu. poſt multos labores circumfertur rumor, deos, Virginis amore captos, euexiſſe ad ſidera, donata immortalitate, fruiq. illam in conſeſſu numinum aeterna felicitate. gratum id patri, talia ſaepe audienti, & aſſueto fabulis poetarum. lenit dolorem, animum ad laetiora dirigit, prolem ſuam, erecto ſimulacro, ut indigetem colit pie ueneratus inter ſacrificia, litationemque uictimarum. Sed Claudia, filiique, ne deorum quidem cognatione contenti haud talia ad animum tranſmittere, ſed maerore in dies augeſcente, aegre lucem pati. At Eugenia, in ſtadio uirtutum decurrens, mirifice in Chriſtiana pietate proficere, princeps ad ſynaxes
ire,

ire, ultima excedere, precibus ieiunia, ieiuniis modeſtiam, demiſſionem animi, ac caritatem admiſcere, omnibus bene uelle, omnium miſereſcere, laetitiam alterius, omni inuidia profligata, ſuam credere: patuitque, uirtute difficillima quaeque uinci. illius uero orationi tanta ſuauitas inerat, ut iratus, ac turbulentiſſimus quiſque facile molliretur, ſedareturque. quibus Eugenia uirtutibus ingens omnibus admirationi eſſe, oſtentarique ceteris ad incitamēta uirtutis. exemptoque e uiuis praefecto, coenobij, ipſa ad praefecturam euehitur, diu inter dubia iactata, ſexum non ignorans, nec honeſtum ducēs, admiſcere ſe familiae regimini, inter uiros femina. ſed, Euangelij oraculo confirmata, capeſſit onus, ad ardua, & ſumma quaeque animum intendens: & tunc minus licere ſibi exiſtimabat, cum plus liceret. acceſſerat ſuauiſſimae eloquētiae, tantisq. uirtutibus curandorum morborum felicitas, aucta uenerationis fama, ac nominis apud ſuos, finitimosque. Erat Alexādriae matrona quaedam, Melanthia nomine, nobiliſſimis orta natalibus, magnisque fortunis, in uiduitate uitam tranſigens, adhuc integra iuuenta. hanc, quarta quaque die artuum tremore concuſſam, uis diuturni, ac grauis morbi inuaſerat. perquirentiq. remedia affertur de Eugenia rumor, felicitate curandarum ualetudinū inſigni. igitur ad coenobiū accedit: enixe obteſtatur, ut ſe adiuuet, ſeque diuturnis moleſtiis, ac certo diſcrimini eximat. mouetur miſericordia Virgo, ſolatur afflictam, medicamentum adhibet, eamq. ualentem reddit. agit gratias matrona: Alexandriam reuertitur: deinde, non multo interiecto temporis ſpatio, in rus proximum coenobio deuenit, ac tria argenti puriſsimi uaſa, grati animi ergo, Eugeniae dono tranſmittit. abnuentem accipere, cum contra inſtituta monaſtica diceret proponi in menſa, aut attrectari manibus monachorum, paupertati, ac pietati operam nauan-

tium, deprecatur, uti Deo offerantur, ponanturque ad ornatum templi. aſſenſum iuſta poſtulanti, dedicatis Deo uaſis, locatisque. contrahitur hinc familiaritas, frequentante coenobium matrona: in colloquium deuenitur aſſidue. ſed familiaritate mulieris nihil nocentius, aut funeſtius. uirtutis admiratio repente in formae illecebras, & cupidinem immutatur. haeret Melanthia ori dicentis, haeret luminibus, amore paullatim praecordia infelicis arrodente. turget, &, impatientia amoris ſaucia, grauiter aeſtuare, Eugeniam deperire, Eugeniam crebro ciere, uoluere ad acriorem libidinem florentiſsimam uirginis aetatem, corpus eximium, oculorum ſuauitatem, & affuſas undique ueneres cum ſuauiſsimo alloquio. ergo reuoluta in flammas, anhelare ſcelus, & uiam explendae libidinis perquirere: maerorem, ac morbum ſubito ſimulat: Eugeniam accerſit: exorat humillime, ut ad ſe ueniat. accurrit Virgo, ſolita caritate inflammata: deuenit in Melanthiae aedes: eam decumbentem placide ſalutat: diſcedit turba famulantium: ipſa aegrae aſsidit: tunc ad adeuntis ſalutationem, adſpectumque expauit amantis anima: motuque intus aeſtuante concitata, efferbuit: immutatur color: haeſitat lingua: defixisque in ore Virginis oculis, uix cohibet manus, uix temperat ab amplexibus. Amor uiolentiſsimum malorum perhibetur, & in femina intolerantiſsimum pudoris, atque modeſtiae. proruit in facinus matrona: ulcus aperit: Virginem in nefas attrahere conatur, oſtentatis nuptiis, fortunarumque ubertate: deceptaque uirili illo habitu, ſexum occultante, preces ingeminat gemitibus permiſtas, ardens oculis, & toto corpore contremiſcens. Virgo, pudore ſuffuſa, atque attonita, flagitij magnitudine intumeſcentem mulieris audaciam premere, amplexus reiicere, auerſari facinus, & ad caſtiora retrahere nititur. illa magis incaleſcere, & turpiora ructare, amore uaecors,

&,

&,obuerſante in oculis excellentiſſimae formae uenuſtate, inſaniens. Tunc Virgo: Compeſce infelix immanes furores: refrena linguam. tantum ne, matrona, audes, ut triumphum de Chriſtiano iuuene ſperes? hos animos Canopus geſtat, hac mollitie uiuit? auxiliare, Chriſte, auxiliare mihi, ſanctiſſima mater, pro caſtitate depugnanti: uos meae deliciae: uos bona & aeterna poſſeſſio. Sic inclamans, prorupit foras, uociferante etiam Melanthia, & uim ſibi a iuuene allatam queritãte. excitae famulae adſunt cum uniuerſa familia, contuentes perturbatum dominae uultum noſcunt iras, irarumque cauſſas. Eugenia regreditur in coenobium, quantum uictoria alacris, tantum in maeſtitiam effuſa, ob perditos Melanthiae mores, inuſitatamque nequitiam. Sed Melanthia, amoribus in odiũ uerſis, aegerrime repulſam paſſa fremit aduerſus Eugeniam, uindictam expetit, ſupplicio innocentis pauere oculos parat, cũ explere libidinem nequiſſet. aſſumpto non exiguo comitatu, Alexandriam feſtinat: defert Philippo querellã: factum exaggerat: familiam teſtem adhibet: inuehitur in Eugeniam, inſanos amores, & perfidas artes perſtringens: inſediſſe uultui illi decoro, atque egregio ori, oculorumq; facibus, immanes auſus, ad expugnandum caſtiſſimae pudorem: inſediſſe blandimentis uerborum crudele uirus, in dedecus ſui, defunctique mariti, iactat. nefarium modo facinus expiaret Philippus nocentis ſanguine, iuſte in Chriſti cultores ferrum diſtringeret, obliuiſceretur inſitae clemẽtiae, iuſtiſſimas querellas ſuas in irritum labi ne ſineret. Mouit Philippum matronae auctoritas, laceſſiuitque in ultionem facinoris turpitudo natura bonũ, & ſceleratis infeſtum, & aequi amãtem, nec Melanthiae lacrymis, iraeque ſubeſſe dolos, & uindictam opinantẽ. ergo, miſsis lictoribus, trahitur cum monachis in iudicium Virgo, catenis circumdata. adeſt Praefectus: ruunt

in ſpectaculum proximae ciuitates, laeta Melanthia, & torue Eugeniam intuente, faſtum eius,& ſupercilium ultura in oculis multitudinis, quam in cubiculo, ac ſtrato nimis acerbam, nimis crudam in contemnendis ardoribus ſuis experta, tacite lamentari. femina poſt amorum repulſam nihil amarius, aut ad uindictã procliuius. Praefectus adſtantem Virginem, oris ſeueritate minax,& cum ſtomacho, ſic alloquitur: Peſſime mortalium, & noxia forma funeſte, haec uobis Chriſtus ueſter praecepta uiuendi perſcripſit, haec perpatranda uobis iniũxit, ut thoro nuptae tẽdatis inſidias, uiduarum pudorem expugnetis, utque arcanis libidinibus debacchemini? haec ueſtra ſtudia, haec a Coo, Pergamoque doctrina ad explendas ueſtras cupiditates hauſta? Scenica ne tibi, an in hoſtili ſolo deprehenſa haec matrona uidebatur, ut tam nefarie uim ei inferre conatus ſis? num tibi feminae natales, nũ ſplendor, num condicio, ac claritas nominis erant ignota? non ne Alexandriae, Deltae, ac Buſyridi hoc patet? ſcelerati, audacisque incepti lues ſine dubio poenas: morte tua reuocabitur a buſto paene intermortuus pudor, nõ ſine Chriſtianorum ludibrio, gloriaque Romanarum legum. Et Virgo, ne agnoſceretur, deflectere a paterna facie oculos, & terram intueri: compulſaque reſpondere, breuiter, & cum modeſtia diſſeruit, defenſo Chriſtiano nomine cum innocentia ſua, caelum, Deumque teſtata, ſe omnium, quibus in iudicium accerſebatur, innoxiam eſſe. uerſaque ad Melanthiam, Cur (inquit) adhuc me urges, o mulier? num experiri libet, utrum me fortiorem aduerſus libidinem tuam, an aduerſus calumnias deprehendas? utraque profecto in arena non pauide dimicabo: ſed nec conſcientiam tuam, nec Deum fallere queis: habebis illum ultorem, quem in me adhuc proterue contemnis. age, inſtrue fabulam: innocentiam meam malo tuo fateberis. Sed mulier iratior, ac perturbatior, dicenti ob-

ti obſtrepere: nihil de peruicacia remittere: inuocare praefecti fidem, & ancillam in teſtem ciere conſciam arcanorum. quae ex dominae ſententia locuta, in Eugeniam crudius igneſcit, calumnias, & probra ingerens, magis obturbato Philippo, & iam tormēta reſpectante, theatro quoque in perniciem innoxiae conclamante, multis cruces, & laqueos, alijs beſtias, alijs ignem ad puniendā eam depoſcentibus, alijs Oaſim, & Meroem, Abaton, ac Philas memorantibus. Tunc Virgo, Quid opus eſt terere tempus inanibus? patiar ne ludibrijs excipi Chriſti nomen a gentilibus? an ignominiam meam, caſurā in Chriſtianorum excidium omnium, ignauo ipſa pectore, conſpiciam? accuſatricis calumnijs peracerbe inſultantis occurrere alia ratione nō poſſum, cum fictis eius lacrymis, & obteſtationibus nimium credatur. cogor (en, uideo) contra decus, & uirginalem caſtimoniam aduerſus inimicam depugnare: triumphet Chriſtus, proſtrata gentiliū credulitate. Sic placide fremens, dirupit a pectore ueſtem, nudauitque corpus, oſtentata mammarum pulchritudine, patrem Philippum, Claudiam genitricem, Auitum, ac Sergium germanos appellans, hisque Protum, ac Hiacynthum oſtendens. maxima omnes admiratio cepit. uix ſenſibus haerere, hiſcere, atque attoniti ſtare. Philippus, in amplexus filiae ruens, ſuauiſſime oſculari, ulnis ſtringere, uix trahere prae gaudio animam: lineamenta oris, & diuinam formam ſtudioſiſſime, laetiſſimeque contemplari. aggeratur laetitia aduentu matris, fratrumque amplexibus. Claudia, ceruici filiae inhaerens, diuelli non poterat; euictaque in lacrymas, non fari; diſſuauiari natam, ori, oculisque intenta: quisque notus, ac ſeruiens, omnisque turba accurrere, plaudere, ouare, laudes Virgini canere, illam Dianae, illam Iſidi aequare. inuitae aurea ueſtis inijcitur: in ſuggeſtu locatur, ad dexteram matris, oſtentata populis, nouo miraculo attonitis, &

ex con-

ex conſeſſu deorum lapſam in terras credentibus ad incrementa uirtutum, ueritatiſque. agnoſcitur in uultu ſedentis Romana maieſtas: agnoſcuntur & dona naturae. iam animis omnium, oculiſque admirabilem Eugeniam ultio diuina, in Melanthiam excitata, clariorem, ac diuiniorem reddidit: quippe reuerſam domum mulierem maeſtam, atque ignominia offuſam delapſus caelo ignis abſumpſit. quo facto nemo fuit, qui non grauiſſime perterreretur. Philippus, Dei beneficium intelligens, cum filia ſalutem quoque nanciſcitur: baptizatur cum uniuerſa familia: Chriſtianos benigne appellat, auctoritate fouet, diuitijs attollit, ſtudet omnes in Chriſti doctrinam allicere, grauiſſimus auctor ad permouendos animos, uirtute eius ubique uulgata. Sed quibuſdam Alexandrinis indignum hoc uiſum, genti uaniſſimae, praeſtigijs, ac fallaciae deditae, addictiſſimaeque cultui deorum, multum in ore habenti Iſim, Anubim, Serapidem, & uetera Aegyptiorum monſtra: Romam querellas de Philippo deferunt: impietatis arguunt: dilapſum Chriſtiana ad ſacra affirmant, ueterum rituum, ac ſacrificiorum illuſorē, non ſine praefecturae dedecore, contemptuque numinū. Iamque Antoninus Commodus, Marci philoſophi filius, funeſta terrarum lues, Q. Aelij Laeti, ac Marciae pellicis aſtu occiderat: ſucceſſeratque P. Aelius Pertinax: ſed, ſenectam eius aſpernante milite, & Didio Iuliano miſcente ſeditionem, & ipſe occiditur: nec Didio longum imperium, aut aeuū fuit: ab omnibus derelicto uiolenta mors periodus exſtitit, arripiente imperium L. Septimio Seuero: Aemilianus, Peſcennius Niger, & Clodius Albinus ad certandum de ſumma rerum aſſurgunt. aduerſus Aemilianum non magno certamine opus fuit: Niger apud Cyzicum occiditur: Albinus in Gallia, ſed Marte cruento. Seuerus, aemulis occiſis, arma in Parthos, Adiabenos, atque Arabas tulit, feliciſſimeque concertauit. huic

mirae

mirae uirtutes,ac uitia inerant,imitatori Hannibalis, pari crudelitate, atque perfidia,in Africa Lepti genito. natale ſolum, infeſtumque Romano nomini caelum, licet maioribus eius ciuitate donatis, indiderant odium feroci pectori aduerſus Romanam nobilitatem. ultus ad ſatietatem inimicos, ſtabilitum filiis principatũ exiſtimauit inuicti animi Auguſtus, patientiſſimusque laborum, cui externa omnia bene, ac feliciter obuenere, prole non felix exſpirauit. hic,uictoriis elatus,in Chriſtianos atrociſſime ſaeuiit,tamquam ab Iudaeis progenitos, (ut credidit antiquitas)in quos implacabilior furebat, rebellantes a maieſtate, & arma turbide miſcentes: easque tunc clades Apella adiit, ut Veſpaſiani,Titi,Traiani, Hadrianique tempora optanda prope fuerint. igitur Seuerus, edoctus de Philippi Auguſtalis praefecti religione, rebellioneque a ueteribus ſacris, ueritus,ne in prouincia feraciſſima, perdifficili aditu praemunita, & longa pace,opibusque luxuriante,res nouas moueret, Chriſto addictus, „ ſcribit ad eum epiſtolam in hanc ſententiã: Qui nos quidem praeceſſit diuiniſſimus Auguſtus (Commodum Antoninum intelligit, inter diuos relatum, in odium Senatus, addito flamine)cum te ſciret eſſe cultorem deorum, „ & honoris eorum ſtudioſiſſimum,ipſe tibi quoque maxi- „ mum praebuit imperium,& tamquã regem potius,quam „ Praefectum,elegit Praeſidem Aegypti, nec te, quamdiu „ uixit, ab hoc iuſſit remoueri magiſtratu, ſed cum uitae „ tempore eſſe demenſum. Nos autem tibi & hunc hono- „ rem conſeruauimus, & non paucos alios adiecimus: ſed „ haec,quamdiu fuiſti diis amicus. quoniam uero nunc de „ te iactatum eſt in uulgus,quod & in religione deorum ſis „ mutatus, nec nobis bene uelis, iubemus, ut aut, inſiſten- „ do prioribus, in honore permaneas, aut, ſi deorum cul- „ tum repudiaueris, ceſſes etiam gerere magiſtratum,quin „ etiam facultatum ſubeas ablationem. Philippus, litteris „

lectis, ſimulato morbo, mentem Auguſti intelligens, occaſui inhiantis ſuo, ſtatuit in animo derelinquere omnia, ac lucem deſerere potius, quam a cognita ueritate diſcedere: fortunas pauperibus diſtribuit, cohortatus ſuos ad bene, ſanctęque uiuendum. Alexandrinos docere non deſtitit, animo ad omnem pro Chriſto dimicationē ſubeundam paratiſſimo. Cumq. in aduentum Terentij Laeti magiſtratu ſe abdicaſſet, totus fuit in operibus caritatis erga egenos. Sed ſucceſſor, uirtutem hominis aegre ſerens, occulte illi perniciem moliri incepit. palam id aggredi, intutū uidebatur, ob populi erga Philippum amorem: ergo in occulto graſſandum ratus, ſicarios in hominem immittit, nihil repugnantem, a quibus grauiſſime uulneratur, ſubſecuta morte, tumulaturque in Iſio, ad aediculam ab ipſo conſtructam, martyrij corona praefulgens, & Eccleſiaſticis Faſtis celebris, decoratusque. mortem eius grauiter populus tulit, memor Philippi in gentem meritorum, magnarumque uirtutum. Praefectus, ut facinoris ſuſpicionem ab ſe auerteret, captos graſſatores in uincula coniecit. mox, deferueſcente tumultu, incolumes dimittit, praetento iuſſu Auguſti. Claudia, extincto uiro ſqualens, poſt data parentalia, largiterq. diſtributas fortunas, Romam adnauigare conſtituit. ergo, liberis ſecum ductis, ad Vrbem uenit, lenito eius dolore Senatus prudentia: quippe, cognita filiorū uirtute, Aulo Carthaginiēſem praefecturam, Africam Sergio mandat, frumentarias Populi Romani prouincias, & ſubſidia annonae. Sed Eugenia cūctis admirabilior uerterat in ſe omnium animos: eiusq. domus ipſa docēte Academiam, ac Lyceum repreſentare: & traxerat in amorem Chriſti, ac caſtitatis non paucas uirgines, quae, eius ſe ductui applicantes, una cum ea aſſidue uigilabant, maceratis pro Chriſto corporibus, ſpretis ſaeculi uoluptatibus, una cū diis, & Reip. calamitates coetui illi perbeato nō mediocriter

criter

criter prodeſſe in tãta temporum uarietate, atque infortuniis quietem,& otium ſuum reſpicienti. Ab exceſſu Seueri, Eboraci in Britannia exſpirantis, Antoninus Caracalla ſimul cum Geta fratre, faſces aſſumpſerat cruentos illos fraterna caede, in complexu matris trucidato iuuene, & nouercalibus amoribus infames, nec nobiles cruore Perſarum, fraude, & cognationis ſpecie deceptorum, Cteſiphonte, & proximis prouinciis fumantibus, uix equi pernicitate ex inuadentium manibus elapſo Artabano. Sed Carrae, Craſſianis nobiles buſtis, Antoninum, Martialis centurionis dextra confoſſum, conſpexere, arcana Manium, inferorumque ſcrutantem. Euehitur appropinquante in ultionem proditionis Artabano, ad imperium militari ſuffragio Opilius Macrinus, ſtimulator Martialis in caedem Antonini: ſed crudelem hominem cum Diadumeno filio irae militum abſtulere, rapti in fauorem Varij Semiamirae filij Heliogabali cognomine, fauorabili apud milites Antoninorum nomine. Sed foediſſimum omnium monſtrum mucronibus eorundem militum conlaceratum, in Tiberim unco trahitur, ſumma rerum ad Alexãdrum Sobrinum Iuliae Mammeae filium, delata, maximum, clariſſimumque imperatorem. Verũ iuuenem iuſtiſsime imperitantem Iulij Maximini Thracis immanitas, furorque in Germania mactauere. Thracem Aquileia ulciſcitur, dum obſidetur munimentum aduerſus iracundiã hominis, Romanae ciuitati excidium machinantis. Gordianus, cruentis Principatus initiis, in militari ſeditione duobus Caeſaribus abſumptis, in curulẽ attollitur, limitibus pacatis, deuictisque Parthis, Philipporum uictima cecidit: Philippos Decij litauere: Deciorũ mors barbarico conto donatur: filius in acie procumbit: genitor ulginoſis locis abſumitur: Trebonianũ Gallum, Voluſianumque filium, Interamnae rapuere militares dirae aduerſus Aemilianum proficiſcentes in Moeſiam.

ſiam. Licinium Valerianum, alieno ductu nobilem, ſumpta aduerſus Chriſtum arma in Perſide foediſsime perdidere, captum a Sapore rege, & inter ſeruitia habitum. Gallienus, ſtupris, ganeis, & popinis monſtratus, infinitas calamitates,& dira perpeſſus, Cecropij gladio confoditur, quam metuendus ſuis, tam hoſtibus ſpretus, uel femina in partem imperij tranſgreſſa. tota uis animi, opesque imperij in Chriſtianos uerſae: hi affligi, ac uexari, & miſerandum in modum excruciari, quaſi eorum caedibus reuiuiſceret pater, barbaricae ſeruituti exeptus, aut penſarentur damna Romana, tot prouinciis a corpore Principatus auulſis, & tyrannorum libidini mancipatis. Inter quae Eugenia acriter pro Chriſto depugnare, hortando, ac docendo, quotidianisque praedis ditare Chriſtiana caſtra, ac nobiliſsimum quemque in militiam adſciſcere. Sed Baſilla omnibus celebratior exſiſtit, inſignis formae puella, Auguſtorumq. ſanguini annexa; & Pompeio, pernobili iuueni, deſponſa: quae, tantam magiſtram nacta, atque imperatricem, haud ignaue pro Chriſto ſpiritũ effudit, Chriſtiano ritu expiata, Chriſto Virginitatem ſacrauit, diſciſſo flammeo, ac depoſito ueſtium ornatu. quod ubi ex ancillae proditione Pompeius cognouit, ſtatim Helenum Virginis tutorem adiit, cunctaque, quae de ſponſa audierat, illi aperit, fremens aduerſus eum, quod puellarem leuitatẽ, externae ſuperſtitionis myſteriis initiatam, in detrimentum ſui, deorumque iniuriam, ſubdole reticuiſſet. reſpondit benigne Helenus, hucuſque magnae ſibi curae fuiſſe res Baſillae, & ipſam quoque, dum tenella fuit aetate, ſed iam adoleſcentem, & annis firmatam arbitratu ſuo uiuere, ac uicturam: proinde ipſam adiret, & arcana mentis ex ore eius eliceret. Pompeius, conſilium Heleni probans, pergit ad ſponſae aedes: pulſat fores: ianitori mandat, uelle alloqui ſponſam: nuntiaret hoc Baſillae, quae, affore

iam

iam proelij tempus exiſtimans; armat pectus, ſeque in certamen ciet: Pompeij adſpectum dedignata, mandat famulo, ut Pompeio nuntiaret, ſibi eſſe ſponſum, celebratis iam nuptiis, & fore: proinde nihil ſibi cum illo eſſe commune. Hoc iuuenis accepto reſponſo, ac repulſa, moram ſuam exſecratus, diriter indignari: ſenatum, ac Principes appellat: trahens amicorum manum, cum in curiam intraſſet, ſordidatus, ac maeſtus ita coepit: Pietas ueſtra facit, Sacratiſſimi Auguſti, Patresque conſcripti, ut ad uos potiſſimum in domeſticis meis calamitatibus, non diſtractis tamen a publicis, confugiam, utque orbitati meae, ac labanti rei Romanae, diriſſima nouorũ rituum ſuperſtitione ſuccurratis. aequum eſt enim, in curia, auxilio omnium gentium, araque pietatis, praecipua bonorum redundare in ciuium cõmodum, ornatumque. A Sai, Butoque inexpiabilis ſuperſtitio emanans in Romanos penates ſe ſubito intruſit: populatur uetera gentium iura, ſancitaque auguſtalia. habent profani ritus auctorem tanti ſceleris Eugeniam, Philippi quondam filiam, inſtructam Chriſtianorum praeceptis, & aduerſus deos immortales, praeſides huius urbis, imperiique pugnam impigre cientem. hi ſunt, P. C. qui matrimonia dirimũt, penates inducta diſcordia funeſtãt, proculcantque honores deorũ immortalium, flaminibus noſtris illuſis. unũ id efficere conantur, ut, ſublatis matrimonij ſubſidiis, ac fructibus, occidat Pop. Rom. nomen. quae umquã gens matrimonia, ac liberorum procreationem eſt auerſata? non placent Arabum connubia, ſordeſcunt Romanis auribus, oculisque Gnidanum, Naſamonum, Garamantum, Agathyrſorum, Machlymum, Moſynorum, Meſſagetarum, Lydorum, Thracumque infandae libidines, ac foediſſimae, atque indiſcretae ueneris monumenta: nos diuorum legibus uiuimus, uicturique ſumus. an ſine ſobolis procreatione ſtare imperium, ſtare Reſp. poſſunt?

ſunt?

ſunt ? unde miles,cohors,centuria, manipulus, & legio, unde equitum turmae,alaeque ſcribẽtur, ſi matrimonijs interdicamur,ſi abolentur nuptialia ſacra? forſitan imperium ſine armis , & arma ſine uiris haberi poſſunt ? quid de religione,quid de ſacris dicam?an nõn ne eſt neceſſe, ſublata religione,ipſum imperium, & ſumma rerum proruere ? quippe fundamentum regnorum pietas cenſetur: & maiores noſtri, ſapientiſſimi homines,nihil inauſpicato per tot ſaecula, in ſumma rerũ uarietate,geſſere . hinc Pater patratus,&Feciales,Auguresque,hinc pullarius,uictimarumque litatio,hinc ad ſuperos preces, uotaque,& paludatorum maieſtas conſulum,imperatorumque,hinc demum in expugnandis hoſtium urbibus euocatio illa deorum,ad obterendas, labefactandasque hoſtium uires ſanctiſſime inſtituta fuerunt . intemeratam religionem, & placita maiorũ ſubſecuta ſunt illa bona perpetua,ſemperque optanda,inter ciues ſumma concordia, caeli temperies,frugum ubertas,hoſtilium uaſtatio terrarum, clariſſimique triumphi ſoſpite Rep. auctaque: & nunc,Chriſtianorum quotidianis piaculis foede contaminati,plectimur ab dijs,aut lue,aut fame,aut interna diſcordia,ſtrageque noſtrorum exercituum . refriximus,P. C. & elanguimus in conſeruanda auita pietate, ac primordijs religionum : a ſuperſtitioſiſſimo,& maxime abominando genere hominum ſuperamur,non ſine aeternorum numinũ iniuria,ac Reip. interitu . en,miſer,ad quid publica funera memoro ? haeret oſſibus , ac uiſceribus priuatum uulnus,erepta iam mihi coniuge affine ueſtra, piẽtiſſimi Auguſti . haec tam atrox contumelia in has me ſordes, lacrymasque proiecit . moueant diuinas mẽtes ueſtras maiorum imagines meorum,moueant proRep. obitae mortes,aut relata uulnera . uos Cenſoriae leges,uos Papiae, ac Iuliae appello,uos in calamitate prouoco, ad ſubſidiũ amantis ſenatoris, & rapta coniuge paen e furentis : ue-
ſtra

ſtra auctoritate iugulate hanc impiam, & gentibus omnibus exſecrandam Chriſtianorum ſuperſtitionem. ipſi arma, ipſi faces in Romani nominis internecionem parãt: nec mirum, ſi, deficiente prole, tripudiat Albis, & tumeat noſtra ignominia Tygris. quaeſo, ſanctiſſimi Auguſti, Patresque conſcripti, per inuictum Populi Romani nomen, per felicitatem ueſtram, & aeterna capita, proſpicite impendentes tempeſtates, ſubuenite uetuſtiſſimis caerimonijs, una cum imperio occidentibus nefario Chriſtianorum piaculo: ne ſinatis almam Venerem, genitricem noſtram, in ipſa rerum arce, in oculis ueſtris tam ſaeue mactari Chriſtianorum maleficijs, incitataque rabie. reſtituite mihi ueſtra auctoritate, ac numine Baſillam toro profugam, & Chriſtianis ritibus mancipatam. ueſtrum beneficium mihi, penatibusque meis collatum exſtabit ad hominum memoriam ſempiternam, ſeruata deorum maieſtate, ſtabilita Rep. firmatisque coniugijs. Poſt dicta procumbit ad Auguſtorum pedes, ſupplices manus tendens, lacrymansque, obteſtatus patrios deos, aramque. Decernitur in Senatu, cunctis in ſententiam Gallieni euntibus, uti Baſilla priori ſponſo nubat; aut, ſi abnuat, more maiorum puniatur. idem de Eugenia ſtatuitur, extento puniendi etiam iure in fautores, cultoresque ubique impietatis in deos rumore iactato. Baſilla, decreto Senatus accepto, cum in ſententia permaneret, taedas abhorrens, ſponſumque, iuſſu Gallieni in uia Salaria ferro tranſuerberatur. alligantur eodem etiam impetu Protus, & Hiacynthus: iuſſique adorare Iouis ſimulacrum, cum illorum oratione illud procidiſſet diſſipatum, ac cõminutum, mandato Nicetij, urbis praefecti, occiduntur. inde acceríitur Eugenia, aliorũ anteſignana, magnisque concertationibus inſignis: ad quam Nicetius: Vnde, Eugenia, tam profana carmina, tamque infauſti ritus, ad humani generis occaſum? iſta ne nobis decantas inter

ludi-

ludicra Iouis, Martiſque, ac Latonae, Dianaeque, calcata diuinitate? an non ſatis fuit, ne farijs ſacrilegijs impleſſe Bubaſtum, ac Papremum, niſi Romana quoque pectora infatues. cede, infelix, &, ſociorum ſupplicijs, interituque commota, animum ad meliora reuoca. nemo umquā aduerſus deos feliciter depugnauit. noxia ſemper audēti in religione, ac caerimonijs nouitas. Sed ſapientiſſime de dijs reſpondentem uirginem admiratus Praefectus, adduci in Dianae delubrum iubet, ſubſequente ſpiculatore, inter eundum enudante ferrum, ac Virginis ceruici intentante. Vt peruentum ad aram, ſimulacrumque, iubetur porrigere thura Virgo, & ſupplicare Dianae, ab antiquis uirginali habitu formatae, ab humero pendentibus ſagittis, ſiniſtra arcum retinenti, dextera ardentem praeferenti facem, cothurnatae, Ioue, & Latona editae, caſtitatis inter feras, ſiluasque cultrici. Sed Eugenia mortuam, & detentam inter cruciatus apud inferos adorare indignata, Chriſtum tacite precatur, ut demeret ex ſpectantium oculis nubes errorum, flecteretque in pietatem animos, oſtenſa ueritatis luce, impiorumque ora obſtrueret ignominia exculti ab illis numinis, cum extemplo ſuccuſſione ſoli quatiuntur fundamenta templi, iactatis parietibus, diuulſisque: ſimulacrumque baſe deiectum in fruſta diſsiliit, non ſine ira, metu, indignatione, ac ſtupore adorantium. multi Chriſti diuinitatem laudare, miraculum animo affigere, caelo factum tribuere, & pietati Eugeniae. alij praeſtigiis, damnatarumque artium murmuri adſcribebant, Virgini infeſti, minacesque. incerto ſonitu perſonat locus, ingeminaturque clamor, atque admiratio. concurrentibus aliis ad ſpectaculum reuulſorum fundamentorum, diſſipataeque ſtatuae. refertur id Gallieno. excitatur a ſomno Reip. malis iam diu indormiens bellua uaſtatrix Aegyptia lina, aphronitra, trabeataque ſaga eludens, in pa-

triae

triae calamitate, orbiſque querellis, ac gemitu,feruet in cruciatus innoxiae,feſtinat illius caede expiare ſacraRomana, adeſſe deos,& propitios affore, exiſtimans,eorum diuinitate aduerſus irriſores defenſa. imperat collo Virginis ingens alligari ſaxum , iactarique in Tiberim. ſed moles, Virgine nihil laeſa, diſrumpitur: ipſa medio in amne animoſe deambulare, hianteſq. gurgites tuto calcare,apud pios magni Petri renouata memoria,ſuper undas olim uel frementis pelagi gradientis: & Romani Horatium Coclitem, ac Cloeliam in animum, adſpectumq. reuocabant, Virginis facinus, ac magnitudinē contemplantes. inde, aquis erepta, iacitur in flammas. illa, mire exſultans, ignem manu prehenſat: attollentes ſe globos in aera mulcet: ambuſtionem non modo carnis, ſed ne ueſtium quidem ſentit: ſtridet immanis tyrannus: &, ueluti Poſtumum, & Aureolum, ac Saporem intuens, terit dentibus labia, & aduerſariae triumphis inſanit,indignaturque tumultuantia in fauorem illius tam placide coiuiſſe elementa,non audentibus contraire diis,de quorum honoribus, offenſiſque agebatur. Virgo, poſt ignes, & aquas ſuperatas, taeterrimo carcere includitur abſque cibariis, potuque, ut ipſa neceſſitate rerum confecta,miſerabilius interiret. ſed erupit caeleſtis lux,tenebris effugatis, aduenientis ſponſi, ſolaturi Virginem,tam ſtrenue pro nominis ſui gloria bellantem, depulſa eſurientis fame, proſtratamque in faciem ſic alloquitur: Agnoſce, filia, regnantem, agnoſce creatorem tuum: ille ego,qui, pro te mortem, & cruciamenta perpeſſus in cruce exſpiraui: macte pietate, filia, perge: dimica, & uince: ſtratus tibi caeleſtis thalamus fulget: felicitatis tuae, aeuique immortalis uadimonium habebis natales meos, morte quoque tua poſteritati memorandos. Poſt dicta euolauit ad caelum, VIII. Kal. Ianuarij,Nicetio magnitudinem Virginis horreſcente, nec non uere uictoriam fa-

V tente,

tente. intromiſſus carnifex Chriſto ſupplicantem gladio uictricem interemit. Iuſtis perſolutis, poſt ingentem lacrymarum uim, a matre, fratribusque ſepelitur in coemeterio Aproniani, uia Latina: poſtmodum in Vrbem transfertur, in baſilicam duodecim Apoſtolorũ, cum Claudia matre, quam, effuſiſſime flentem, in ſomnis Virgo, inſignibus collucens ueſtibus, auguſtiſſimaque corona refulgens, conſolatur, abſterſis lacrymis, ac lenitis angoribus, felicitatem ſuam, & thalami decus enudans, praenuntiansque perennem quietem, curulemque ipſi, filiisque in caelo paratam: proinde laetiſſime eſſet, obliuiſceretur maeroris, ac deſideriũ ſui oblitteraret, Deum dumtaxat, ac caeleſtia contemplans.

Digitized by Google

S · MARGARITA VII ·

Pſidarum hinc gens cum finitimis Cilicibus, Pamphyliiſque illuſtretur Margaritae, ſeu Marinae, ſic quoque a Graecis dictae, nobiliſſimo triumpho, clariſſimaque laurea. Antiochiae ſortitur ſolum, & ortum, non obſcura ſtirpe, patre Aedeſio, Diali Herculis. in puellari aetate orbata genitrice, cuius nomen non tradit antiquitas, a patre nutrici optimae feminae alenda traditur, quindecim ſtadiis procul Antiochia. adulta, nutricis pietate, uirique illius Theothymi, Chriſtiano charactere inſignitur. mirifico hinc erga Chriſtum exardeſcens amore, uota quoque illi caſtitate, alma hinc impleta aura metiri caelum, & per ſtragem, cruorem, laniationemque membrorum peruenire ad Chriſti ſolium exoptabat. acuere ſeipſam tacita interdum ad uirtutem, ingenteſque aduerſus inferos, & blanditias hominum iras attollere: incenſaque martyrij cupidine, intra pectus nō leuem pugnam, ac facile armorum diſcrimen uoluere. Interim non pati quietem, haud dormiente hoſte: aeſtuantem ſentire iuuentae robore, ſexuſque ingenio pruriginem: deprehendere daemonis machinamenta, nunc faſtu quatientis animum, nunc inferentis ex acerbitate poenarum, & quotidiani in propoſito caſtitatis ſupplicij, aeternique Martis pauorem ante oculos expoſita uoluptatum copia. Sed Virgo magis

Chri-

Chriſto adhaerere, generoſius in acie ſtare, cum ludibrio a pugna hoſtem excipiens, celere, expeditumque illi refugium ad ſacras paginas, precesque. his, ueluti fulmine, aduerſus uim, & inſidias uti, atque omne robur in id effundere, ut ocius illatae ab aduerſario mēti cogitationes labarent, ociderentque, ne, diu per mentem uolutatae, mortifero animum ictu proſternerent. Stupens ad tantum Virginis ardorem, religionemque cum uiro nutrix, eiusque praeſtantiam in exemplum aliis trahens, acrius eam erga ſuperos accendebat. Ceterum Aedeſius, ubi intellexit a filia, Chriſtianis imbuta ſacris, damnari ſuperſtitionem ſuam, deorumque fabulas, haud parce ingemiſcens, exſecrari prolem ſuam, & diis quodammodo obiicere, quod, elargiundis Virgini luce, fauoreque, ritus ſuos perditum irent. Igitur inter irarum fremitum filiam blande appellat, diu mulcet, enarrat maiorum gloriam, religionem, & ſacra, deorumque attollit beneficia: uimque Romanam aduerſus Chriſti cultores, ſimul Herculis nuptias, ignemque oſtentat. Etenim tanta priſcos miſellos illos ſuperſtitio ceperat, ut nō erubeſcerēt deos ſuos inceſtis, adulteriisque polluere, & foeditates, ac libidines in fama, & gloria ponere. Dianiram olim, & Omphalem, aliasque, infernorum debellatori monſtrorum, ac triumphatori terrarum, Iouisque comiti, placuiſſe uenuſtatis, ac pulchritudinis gloria: quanto magis illum exarſurum in taedas, in ſummo decore, in uegetiſſima aetate, ſuauiſſimaque oculorum, orisque luce? capeſſeret iſtas modo ſpes, euentumque rerum, famam ſui breui locatum iri inter ſidera, breuique ſtatuarum, thuris, templorumque decorandam honoribus, exoptata aliis famā, aſtraque per ſudorem, puluerem, ſanguinem, mortisque diſcrimina in ſtrage Vrbium, excidioque terrarum, ipſi inter uoluptates, oſcula, amplexus, felicitatemque patere Olympum, & gremium Iouis, Curiamque deorum:

quan-

quantum fugiente Daphne ſplendeſcit Orontes, tantum Eurymedonta ipſius utero, proleque gloriaturum aſſerit, polliceturque. Sed Margarita eo effuſius deridere, ac deteſtari ſimulacra deorum, atque abhorrere a patris uoluntate, quanto foediora oculis, auribusque portenta ſubiiciebantur. Quamobrem Aedeſius, ſic reiectus a filia, infenſius illam adſpicere, ac crudelius abominari, &, detracta ueſtiũ pompa, uix tunicatam errare per campos, ueluti ex choro Lemoniadum unam patitur, ut, iniecto pudore cum deſperatione (coaequalibus egregie ueſtitis) nuditatem ſuam cernens frangeretur, retorqueretur que ad gentilicia ſacra. Ceterum nutrix, & Theothymus egregie illi animos faciebant, conſolari, ac ſupernarum diuitiarum, pomparumq. admonere: etſi nequaquã his ſtimulis Virgo egebat, ſatis per ſe effuſiſſimo curſu ad Chriſtum cõtendens, animataque. Interim, inuſitato terrore extrema, mediaque Ortus, Occidentiſq. quatiuntur Romano fulmine proximas gentes torrente, directoq. in Chriſti cultores. Etenim Aurelianus, poſt mortẽ Claudij, praeclariſsimi Imperatoris, Gothorũq. uictoris, ac fratris eius Quinctilij caedẽ, Romani capeſſerat Imperij habenas cũ militari conſenſu, tũ auctoritate Senatus, uir bello fortiſſimus, manu acerrimus, ad arma promptiſſimus, cõſilio optimus, fortunatiſſimusque, ceterũ natalibus obſcurus, pacis artibus ignobilis, barbara crudelitate formidabilis, exoſuſque. Hic, primordio Imperij Chriſtianis amicus, eorumque ſacris non infeſtus, poſtmodum, cum Rempublicam per dedecora, & foeditates Galieni, inertiſsimi Principis, ac profundiſsimae gulae hominis, infelicitatemque Valeriani, apud Parthos proelio uicti, captique, labantem uirtute, manuque ſuſtentaſſet, priſtinaeque maieſtati reddidiſſet, fuſis Perſis, ſtratis Gothorum, Sarmatarumque copijs, acciſa Carporum feritate, conculcata Germania, ad Emeſſam profligatis Zenobia Odonati

Pal-

Palmireorum Regis coniuge, Zabbaque ſocio, recuperato Oriente, ſublato triginta Tyrannorum & amplius imperio, frenata etiam Monetariorum ſeditione, auctoque Vrbis pomerio, cruentiſsime, ſaeuiſsimeque in Chriſtianorum caedes exarſit, aqua, ignique illis interdicens. Ceterum in belli procinctu in Aſiam cum ingētibus copijs aduerſus Parthos traiecturus, ad Zenophorium, coniuratione Mneſthei, dextraque Mucaporis, occiditur, in ipſa felicitate, annorumque robore. Haec tyrannorum, aduerſus nos ſaeuientium uitae periodus fuit, non ſine ingenti Chriſtianā erga rem benignitate numinis. Sic Domitius Nero, dedecus terrarum, poſt infinita ſcelera, ereptamque fulgentiſsimis Chriſtiani nominis luminibus Petro, Pauloque animam, ſibi mortem conſciuit. Sic Domitianus ſuorum inſidijs occubuit. Et Hadrianus, cruentiſsima bellua, nonne horrendo exitu uitam terminauit? Non Antoninus philoſophus inſidijs caruit, non domeſtica turpitudine, ſubſternente ſe paſsim amatoribus, & uterum Fauſtina oſtentante, atque ardentiſsime proruente in Venerem. Non fortunate mortalitatem Commodus filius expleuit, gladiatoria manu ſtrangulatus. Nec fauſta ſibi Septimius Seuerus poſt ciuilia bella, ſpumante Romano cruore Iſara, tepenteque Iſsico ſinu, Cyzicenisque maculatis litoribus, poſtque Arabum ſpolia, exciſamque Cteſiphonta, deuictos Adiabenos, Orcades, Pictonesque pacatos, ſenſit. Macrinus cum Diadumeno ſpecioſiſsimo adoleſcentulo nōne trucidatur, uiliſsimus homo, Romanum faſtigium dedecorans? Diſcinditur ferro Heliogabalus, generis humani infamia. Maximini, Decij, Valeriani, Galienus, omnesque noſtrorum rituum hoſtes, diriter mactantur. Nec rebellanti a nobis Iuliano, uadentique in Arſacida, ortumq. Solis Phoebaea fana, conſulti arioli, exciti manes, adorata Bellona, & perquiſita exta, fibraeque profuere, quin hoſtili in terra, in-

certi lancea uiri ſaucius, uolutatusque in ſanguine infan dorum perſolueret poenas ſcelerum. Nec gentilibus dũtaxat Caeſaribus, Regibusque praeſcriptum eſt hoc mor tis genus. ſed par in Catholicae religionis oppugnatores graſſata eſt lues. ſic Valens, ſic zeno Iſaurus, Anaſtaſius, Leo Iſaurus, Conſtantinusq. filius, & reliqua monſtra miſerabiliter periere, poſteritati documentum perpe tuum, ac ſempiternum. Sed iam, unde diſceſsimus, noſtra reuertatur oratio. Aureliano igitur mouente in Parthos, Piſidarum Prouincia Olybrio, Principi caro, decernitur, acris, & iracundi animi uiro, audaci, nec diſsimili moribus, uotisque Auguſti. hic per Lycaoniam, Iſauriãque in Prouinciam ingreſſus, recta tendebat Antiochiã. Illa die Margarita cum aequalibus ad quendam fontem ſubſidebat, laeto circum uirenti gramine, a uia militari non multum ſecedentem. Igitur Olybrius, iter faciens, ubi puellarem turbam adſpexit, facile Margaritam pulcherrimam omnium iudicauit, ſtatimque impudicum illi adiecit oculum, ex aſsiduis ſordibus, illecebrisque intumeſcente libidine. Cunctanter, lenteque agit equum, attollit ſermone cum proximis uirginis pulchritudinem, Dianae aequat, uorat oculis, agitat uim legum, patriam ſeueritatem, cenſoriam diſciplinam ſub ſeueriſſimo Auguſto, audet, metuit, in diuerſa diſtrahitur. Sed in tanta pulchritudine, non difficile fuit impuro homini ſuccumbere. Mittit equites, qui ad ſe attrahant Virginem, ueluti hoſticum per ſolum incedens, terramq. Parthorum: cui, ſi ſeruilis fuerit condicionis, concubinatum, uoluptates, & oſcula; ſi libera eſſet, nuptias, & torum polliceantur. Miſſi equites, ueluti iumenta aquaturi, facto impetu, prehendere Virginem, diffugientibus ſodalibus, queſtibus nemora, camposque implentibus. At Margarita, ubi ſe circumdatam uidit, ſeque rapi ſenſit, uehementiſſime perturbata, lacrymabili adſpectu, uoceque

Chriſti nomen inuocabat, ſeque illi commēdare, ne corpus ſuum praedatoris ludibria pateretur, ne libidini pateſceret, ne ue nuncupata in irritum uota caderent, & ne margarita, exſtincta uirginitatis luce, obſcuratoque fulgore, in luto luxuriae calcata ſordeſceret. Eſſe illi uirginem matrem, gaudere innuptarum conſuetudine, placere illi uirginalem ſimplicitatem, uirginem ſe quoque eſſe, illi dumtaxat ſeruientem, languentem amore, exuſtamque facibus: non iam ſuam iniuriam fore, ſi raptoris libidine corpus pollueretur, ſed ſponſi: habere iam fulmina: torqueret contra impietatem, & ſacrilegium: tormenta nòn ab ſe timeri, uirginitatis gloriam mire aeſtimari uociferans. Vt deuenit ante Praeſidem, inter candorem, ruborem, ſudorem, angoremque non intendere oculos, non promere uocem, aut ſtrepere, ſed muta os lacrymis rigabat, indignabundaque detorquere in terram oculos, menteque haerere caelo. Olybrius, inter flagitia, & libidinem exſultans gaudio, attonitusque uirginei ſplendore decoris, miſcere ſuſpiria, uix arcere a uirgine manus, uix continere furorem, auide legit iuuenile corpus, haurit ex inſigni proceritate ignem, ſentit faces, ſecumque dolet, non pacatam frontem eſſe, non benignas luces, id ſibi inuidere deos credere. Iamque ex pudore ingenuum, indomitumque animum, & caſtimoniā praeſagire, quando Praefectus equitum inſuſurrat illi, nō difficili curſu, nec laborioſo uenatu pulchram apprehenſam retibus ferā, ſed fruſtra ſperari amplexus, cum Chriſtianos capeſſat, colatque ritus, ferum apud hominum genus odium uigere immortale aduerſus deos, delicias, torique uoluptates. non raro id experientia monſtratum cum infauſto exemplo, & ignominia faſcium. omnia illico apud hominem mutata, uariato oris colore, algenteq. anima. Toruo igitur uultu reſpectat caelum, & minaciter frontem dextra tergit, uoluit iam caedem, anhelat ſanguinē,

com-

compellatque Virginem, quae illi patria, ſacra, gens, nomen, & inſignia eſſent. Et Margarita, ubi rabiem pectoris, elatamque uocem excepit, laeta, quae prius de Virginitate inter blanditias dubitarat, Antiochiam ſibi patriã, Chriſtum Deum, illuſtre genus eſſe, & Margaritam uocitari aſſerit. Tunc Praefectus: Ergo, quem in cruce litauere Iudaei, tu Deum uocas, colisque? Et, annuente Margarita, Olybrius ſtatim ipſam in Praetorium ſub cuſtodia praemiſit. ipſe, prodeunte obuiam Ciuitate, & legione inter ſigna in media uexillariorum cohorte, Antiochiam intrat, facitque ad Herculis ſacrificium patrio ritu. Peractis ſacris, cum adueſperaſceret dies, Solque in occaſum rueret, in Praetorium ſe recepit, moliens iam ſupplicia, queis Virginis animum edomaret acri, infeſtoque certamine irá cum arrogantia, & pulchritudine cum libidine concurrentibus. Inſequẽti die propoſitis edictis, denuntiatisque, per praeconem Margaritam pro tribunali ſedens accerſit, placideque Herculis, deorumque ante aras procidere, dare libamina, parere Caeſaribus, parcere aetati, & delicatulo corpori, auertere ab ſe tormentorum atrocitatem, ſeruareque etiam inaeſtimabilem pulchritudinem iubet, abnegatoque Chriſto ſummam felicitatem pollicetur. Margarita, confirmata animo, nec minori elata fiducia, negat, ab ſe quemquã praeter Chriſtum Deum coli poſſe, nihil ſibi pulchrum uideri praeter Ieſum, cuius iam ſe tutam eſſe, foreque auxilio, ſi corpus laceraretur ſuum, ſi diuexaretur, caederetur, diſcerperetur, ureretur que. id ſibi optatum, id expetitum, acceptumque Chriſto ſacrum fore, ſperni ab ſe blanditias eſcam inferorum, nec dubitare nefarias cum dedecore illius artes in irritum caſuras affirmat. Tunc Praefectus iterum rogare, ut deponeret peruicaciam, cederet precibus, cederet monitis; &, ne tormentis peragenda res foret, Romana numina ueneraretur: ſi id faceret, ſponde-

re Auguſtalem fauorem, & thalamum ſuum, nihil ſibi gratius eſſe, aut futurum iucundius, quam Iunonis auſpiciis ambos laetiſſime frui opibus, fruique iuuentae bonis, & dulcedine. nihil tale ſperatum Piſidae, & nouum, eoque magnificentius dicere. Et uirgo reſpondit, fruſtra effundi uerba, ſibi nihil aerumnoſius uita, nihil mori, & eſſe eum Chriſto exoptatius. Chriſtum ignominioſo, diriſſimoque affectum pro ſe ſupplicio, ſe pro illo non fractè morituram, perſoluturamq. tanto amori mercedem, etſi non parem, attamen quã poſſet dare. Tunc ira concitus Olybrius, ſpoliari Virginem, nequid ludibrio, furorique deeſſet, in concione populi, & neruorũ ſcindi uerberibus corpus iubet. Miniſtri arreptae Virgini ſtolã detrahunt, ſuſpenſaeque in equuleo, afflictis pondere ſaxorũ pedibus in caedendo corpore uires, lacertosque oſtentant. Virgae, ad primos ictus tenellum corpus, depulſo candore, rumpentes, laxum cruoris elicuere fontem, inter quaſſationem, uerberandumq. ſanguinem circum irrorantes, cruentatis etiam miniſtris, euibrata miſeratione omnium uiſcera, lacrymae quoque fluxere apertis cũ gemitibus, uocibusque Margaritae duritiem, & contumaciam carpentibus. Sed puella, animo inſigni, intenta caelo, Chriſtum pie apprecabatur, ne ſe in tormentis uictam, neue inter barbaricam feritatẽ multis circa hianti ore ad uorandum adſtantibus canibus deſereret, praefata, ſibi fiduciã, & uires ineſſe nullas: illius ſe poſſe triumphare uirtute, praebito aliis etiam exemplo Virginibus, ne Tyrannorum minas, uultusque horreſcãt: laxaret imbrem ſuauitatis ſuae, mulceretque ardorem ictuum, roburq. ad reliqua perferenda tribueret. Et Olybrius, dum fluit cruor, ſtridentque Virgae, diſciſſaque carnis fruſtula diſſipantur cum horrore intuentium, obſtupeſcens ad tantam animi magnitudinem, atque conſtantiam, ſublato oculos ſago tegens, ſubmurmurare, ut ſibi parceret,

ſape-

ſaperet tandem, ne ue in ſe tam diriter ſaeuiret ipſam. At uirgo inclamare, ſatis ſibi mitem uideri, ſatis amantem ſui; ſin aliter faceret, merito crudeliſsimā poſſe dici: iam ab ſe ſperari ſalutem animae, iamque per corporis excarnificationem non longe cerni coronam: ipſi uero, idolorumque cultoribus, laxum ad ima Tartari patere iter, quo in ſempiternum ab occaſu torqueantur. Permiſſum modo illis, quare in cruore innocentis, quo inferna monſtra eorum ſuppliciis exſaturentur annuebat. Interea ipſa languida uoce uix fari, emananteque ſanguine, pallida, uix trahere animam, pectore, luceque tamen non cedere, ſed ultro poſcere in ſe ſupplicia. maius hac animi celſitudine, contemptuque poenarum illatum Romano uulnus, quam ſi, Parthico telo occidiſſet, anxie, & minaciſsime circumſpiciens Virginem deponi ex equuleo, inferriq. tenebricoſo carceri iubet ad atrociora tormenta dilatam. Et Virgo, crucis ſe ſigno muniens, ſumma religione Chriſtum eſt precata, ut dilueret culpas, utque errata iuuentae obliuiſceretur, ſimulque uti bellantem aduerſus ſe hoſtem in conſpectum daret. pie caeleſtia meditatur, & lacerata membra tangit. Offert ſe nunc nobis fabuloſa de Dracone narratio, maiori impudentia aſſerta, quam fabula Alexandri Macedonis, aut Scipionis Africani falſa Draconum ſpecie eluſorum. licuit hoc fingere Graecis, & attexere mendacia, quibus iure iam ſuo utuntur, non minus factis, quam lingua monſtruoſi. ſed in Chriſtiana hiſtoria quis ſani iudicii, ac religioſi animi non exſecrabitur ſcriptoris imperitiam, & puerile commentum? a nobis ita traditur, ut, Cattholicae ueritati, & ſapientum iudicio firmiſsime inhaerētes, fidem penes rei auctorem eſſe uelimus. igitur ſub Draconis ſpecie Daemon in Virginem excitur, cum ſubito ingentis magnitudinis ſerpens, uel ad ſtuporem Bragadae, & noui aliquid ſemper parturientis Africae obtremente

tellu-

tellure, erumpere ex imis uiſus uariati ſquama coloris, fuſa horribiliter coma, minutis cincinnata ſerpentibus, dependenteque Venetae conditurae e mento barba, intorta cauda, & interdum late explicata cum fragore, funeſta oculorum luce, dentiumque terribili, & ignito ordine, uaſtoque oris hiatu, & patulo gutture eructans ſaniem,& globulos flammarum, odoremque taeterrimum, immenſa aluo, e collo Dypſadibus, Natricibus, Praeſtero, ac Pharea dependentibus, ſeque amplexu corporum in auras extollētibus, anterioribus pedibus diriter informibus, multiplicis, diſtortiq. digiti ferreis ungulis, morteque armatis. Inter eundum excipi ſibili, infauſtusque ſtridor, quati armi, uerri humus, attollique colla,& tergemina exſeri lingua flammas lambens,uomensque. Expalluere uirginis os, uultusque, obtremuereque artus, obrigente coma, labauitque in ueſtigio pes, trepida caelo figens lucem, ſpemque ſalutis flebiliter Chriſtum inuocare, & Deiparam, mox uidere ſibi uiſam apprehendi, & abſorbi a beſtia, paulloque poſt, crepante ſerpente, incolumem affundi ſolo. Itaque ex magno timore in ſummam euadēs fiduciam, Chriſto grates reddere, cum mox, ad laeuam reſpectans, uidit alium in angulo daemonem adſpectu fero, immanique, torrida cute, oculis igneis, duplici nexu manibus,cruribusque euinctis trepidantem, & non dubij cruciatus praeſeferentem ſignum, quem uictrix uirgo, cui iam uerberum, equuleique dolor, & carcer pro Chriſto nimis anguſta arena uidebātur, crucis iterum armata ſigno, crine arripit, allidit ad ſolum, pedeque collum premit, & ſentit eiulantis uoces. Satis, o Virgo, poenarum dedi: diu, & ſaeue crucior. num iſta te poena delectat? Retuliſti iam ſpolia: praeclare uiciſti: cum uictis iam nullum bellum: generoſi eſt, ignoſcere poſcentibus ueniam: fratris in interitu mei tripudias: en infeliciter iacet: & ipſe quoque iacebo. nimium

mium defenſa Deo Virginitas,nimiumque dilecta. Hanc cum labefactare frater tentaſſet, ſenſit ultricem dexterã, deditque poenas temeritatis,cum ordinis ignominia noſtri, & praeconio tui. Quaeſo, triumphatrix, poena miteſce alterius, & ne mihi indignare. Tunc Virgo, faſſa ſe Chriſti ancillam, iterum procubuit in preces,gratesque, &, adorato numine, animaduertit ingẽtem undique micare ſplendorem, afflatam miram ſuauitatem, crucemq. tangentem aſtra uiſam, in faſtigio ſubſidente columba inuſitati candoris, uocem quoque exaudit, pollicentem non dubiam palmam, aeternamque quietem. Virgo, flexo genu, pulſis ulceribus, curata corpore, laetaque prodigio,plaudit numini,non ceſſat illi laudes canere. Conuerſa deinde ad hoſtem, iubet feralia aperire arcana, & enudare ſcelerum triumphos. Qui cum impetraſſet, ut a gutture pes Virginis dimoueretur, ita orditur: Quid uſpiam eſt, quod meo non ſubſit imperio? Me iubente immenſis reboant fragoribus aethera, mugiunt ab imis ſedibus maria, trucibus agitata procellis, ualida grandine, crebrisque niuibus fatiſcunt montes. Ipſam ego machinam terrae multiplici metallorum genere praegnantem, ſuoque pondere luctantem mecum,his brachiis,lacertisque concutio. Ditiſſimus erat Iob, cui omnes, qui ſolem Orientem ſpectant, & numeroſam familiam, & firmiſſimas arces, armentorum greges, & gazam opulẽtiſſimam inuidebant. Sed,uires meas expertus,extremae fuit omnibus calamitatis exemplum. Fui ego nullo comite, & adiutore, nullis machinis, aut arietibus, tectis, arcibusque ruina, diſtrictus mucro familiae, armentorum gregibus clades, diuitiis, mercibusque tempeſtas: nihil intactum reliqui: ex purpura deduxi hominem in ſterquilinium; membraque ipſa, quae ſola ſupererant tabem ſpirantia, uiuum maerentis animi ſepulcrum, funusque conſtitui. Interroga Niliaca ſtagna, camposque Taneos,

neos, qui me toties conſpexere ad ſingulare certamen cum ſiderum rectore congreſſum. Hic uires omnes exerui meas, conuerſis in colubros uirgis, inflatiſque cruore fluminibus, ne Moyſe uiderer inferior. Mirata eſt Memphis perpetua quadam ſcaturigine ranam, non ex coenoſis modo paludibus, ſed ex Regio etiam conclaui proſilientem, quae & terram inficeret paedore ſuo, & moleſta coaxatione aſpidum aures urgeret, ad maiorem quotidie portentorum uocem obſurdeſcentes. Nullus pro me miles in hoſtem cataphractus in ceſſit: meis ipſe manibus, breui noctis unius ſpatio, ſublatis heredibus, Canopum, oramque Paraetoniam adeo lacrymis, & ſqualore compleui, ut, nablis ubique confractis, cydarique depoſita, ululatibus cuncta perſtreperēt, & ſepulcrales faces uirentibus ſertis, Memphiticis pyramidibus coenotaphia humanae infirmitatis monumenta ſuccederent. neque uero debilior mihi in aquis, quam in continenti, poteſtas. Romam multi cum Paulo, qui ad Caeſarem appellarat, naui firmiſſima uehebantur, hos ego leni aura prouectos circa Melitam inſulam conſecutus, minaci primum imbrium ui, fulgetris, turbinibuſque perterrui: tum ad adſpectum meum inhorruit mare: repentini flatus ex diuerſis collecti plagis in nauis perniciē conſpirarunt: quorum impetu diſiecta uęla, malus deinde, mox gubernacula, fruſtra fluctus euitāte magiſtro, diffringitur, uaſto alueus dehiſcens hiatu conſpicitur, turgido, ſpumantique aeſtu nauigij latera conuelluntur: dumque immanes toto pelago aquarum moles illiſu reciproco frangerem, uacua hominibus carina arenis illata in minutiſſima fruſta diſſiliit. irarum ipſe molitor, parenſque diſcordiae, thalami illata ſuſpicione inter coniuges inſidiator, aſſideo male nuptae querellis, nuruum in ſocrus, nouercarum in priuignas, ſeruorum in heros, ancillarum in dominas ſtimulator. Quot ego philoſopho fucos, quā opi-

opimum Iureconſulto lucrum, quantum purpurae faſtũ, & contemptum aliorum, aut quantam ego militi praedã oſtento? Ruunt praecipiti curſu, morteque ſua trophaea mea nobilitant. caret æterna Roma tot molibus, & in fulgore, maieſtateque Capitolini culminis tot ſpoliorum aceruis, & aegra iam inuidet tot mihi manubias, tãtasque uictorias. terris ipſa, ego animis imperito. Summum porro mihi ius in amoribus uindico: hic laqueos tendo: hic animorum uincula, & flammas paro, Stygijs temperata caminis: quibus nec lorica, Margiano ferro refulgẽs, nec paludamentum obſiſtit. ardent animi adulterini coloris obtutu, quo identidem aniles genas, frontemque rugoſam adſpergo, locatis ſagittarijs in lacrymulae ſtillis, gemitusque calore. Et, quod magis mirere, taedis meis nõ inuiti exuruntur: conceptoque in uiſceribus igne, aſpidũ uenenum, dulcem amaritudinem, & blãdam mortem pro exquiſitis delicijs amplectuntur. Adſto, inſomniorum immiſſor, & ſpecie uoluptatum eludo: texo dormientibus mortem: hac acie, ferroque imbellem, & fortiſſimum quemque proſtraui: ſublimibus ignobiles, diuitibus pauperes, inſipientes doctis, pulchrisque horridos aequaui: haec in omnes ualuit dextera, fulmine felicior, ac uiolentior. Quid referam nefanda tori, & inceſta cubilis, in uirginali triumpho, ac uiduae pudore me circa plaudente, & promittente ſilentium? Num ſenum ardores, num potentium artes ordiar, num primas iuuenum flammas, in pube nondum pilo ueſtita erumpentes? Attexam ne polluta obtutibus templa, & ipſas immortalis Dei aras ordini noſtro terribiles, laſciuis aſſultibus temeratas, cum igne ſingultuum, & nutrimento furoris? Plura nectentem hoſtem offenſa turpitudinum iactantia Virgo imperato ſilentio inhibuit. quo ad inferos dimiſſo, gratias iterum Deo agit, tranſegitque eam noctem cum inſigni gaudio in caeleſtia effuſa. Olybrius, orta luce, rapi

Y in

in tribunal Virginem iubet, undique circumfuſa Ciuitate, atque erecta in admirationem. Ipſe in illam luminibus directis obſtupeſcere, admirarique incredibilem oris maieſtatem, & totius corporis praeſtantiam, uel ad iniuriam uirgarum integri, micantisque: conuerſusque ad eam, ita coepit: Noſce iam, bellatrix, uel inuita, deorum benignitatem: noſce iam fauores: pugnaſti aduerſus eos inſigni impietate, & ſtultitia. ignouere ipſi, miſerati dolores, miſerati cruciatus tuos, teque ad feliciora diſtulere. deſine iam dimicare: uince, & geminatas ueneres cum beatiſſimo ore, ac luminibus inſere concilio Iouis, ad ſtuporem deorum, tonantis iam fulmina uittata Sacerdos excute puellari manu inter fumantes aras, uictimarumque cruorem: cedam ipſe libenter, ſi tu ceſſeris: iacturam meam, & pudorem in uictoria tua praedicabo. Virgo humanitatem hominis eludere, cum irriſu deorum imbecillitatem obiiciens, & plaudere dumtaxat aeterno numini, illi uictorias, & ſtatuta in contemptum deorum trophaea referens. Tunc Olybrius, acerbiſsime ſtridens, detrahi uirgini ueſtem, in equuleumq. ſuſpendi, ac pectus, lateraq. facibus diuexari iubet. Sed uictrix egregie ſupplicium ſuſtinet, multum conſolationis, multumque roboris ex Chriſti cruciatibus trahens: interque uaporem, ſtridoremque carnium admirabili cõſtantia refulgens, ſecundam pugnam poſcebat. Intelligit ferociã Olybrius, & ipſe immiti animo noua moliri ſupplicia, nouosque cruciatus. Ingens aquae uas in medio ſtatui, mergique in illud uirginem imperat, fumantibus lateribus, circumdatamque undique uinculis, ut nimia aquarum copia ſpiritus intercluderetur. Extulit uocem in certo Virgo diſcrimine, numini ſupplicans, atque in hunc modum effata: Domine Ieſu Chriſte, ruptor uinculorum, & Tartaro triumphato felix ualuarum euulſor, ac ſuſcitator mortuorum, ſerenas ad me inflecte luces,

beni-

benignitatis uberrimum imbrem irrorantes. Sit haec mihi aqua in ſalutem, ſit in ablutionem ſcelerum, culparumque. Per aquam nouit mecum mortalitas affuſam orbi ſalutem: aquam aura beata, ac ſempiterna fouit poſt primordia rerum: & fluenta ipſe Iordanis impreſſo ueſtigio ſacraſti: me foue, me libera, amantiſſime Ieſu. Ita dicentem merſere lictores, uictricem nimia immanitate urgentes ad clariorem triumphum, cum extemplo concuti ſolum, & ingens ignis ſplendere columna, expandique per aerã crux, atque alba columba ore coronam gerens ſuperuolitare Virgini uiſa tacto capillo, ſubſidensque in cacumine crucis, ſic fari: Depulſo diſcriminum metu, quieſce, puella: iam iamque capeſſe coronam: pax undique micat: Deus adeſt. Tunc diſrupta Virgini uincula, & laxatae catenae uel ipſi exſultanti, cũ geminata gratiarum actione. Fama eſt, columbam illã, propanſis alis, in fulgore Crucis iterum canentem numini laudes, ac plaudentẽ Virgini ſuauiſſimo ſonitu, in has uoces rupiſſe: Huc adſis, religioſiſſima Virgo: huc propera dilecta Deo: intende caeleſtibus lumina: intuere torum, defunctae iam atrociſſima pugna, illic licet quieſcere laureata ceruice: ſtant aeterna palatia: patent iam tibi: illuc cum aequalibus Virginũ choris, & martyrum turmis triumphare licebit: illic aeterno aeuo, aeternaque luce beatiſſime frueris. Ad hanc uocem, admirandumque prodigium, ferunt multitudinem ingentẽ, pietate, & cupidine martyrij concuſſam, auidamque ſalutis, ſpreta tormentorum atrocitate, ruiſſe ad baptiſma, concelebraſſe Chriſti nomen cum ludibrio deorum, ac Caeſarum. nihil hoc Olybrio amarius potuit accidere. furẽs armari legionem, cani ſigna, dataque teſſera ſtatui uexilla iubet, affuſoque in apertum equitatu, arma, & faces in rebelles poſcit, infrendens, & truci irarum turbine raptatus in multitudinem impetum facit, ſternit ob-

uios, fodit pectora, proterit iacentes. Illi, laeti, ſe haſtis, teliſque obiicere, fortiter mori, non gradu moueri, ultro in ſe librantium tela inuitare, parato iugulo. nec femina, in armorum fragore, tubarumque ſonitu, inter ſtragem, uiro cedere, aut gladios, mortemque formidare: ſciſſo crine lymphatae uolitare, inter pila, haſtasque tripudiare, aduerſa corpora, ac pectora horrenti ferientium mucroni offerre, non eiulatus, non gemitus, clamorque exauditi apud morientes. id curae bellantibus fuit, ne uiuerent. aggeſtis in unũ corporibus, cumulataq. ſtrage percuſſoribus ipſis feliciores exſpirauere. Olybrius, aſſidens in cadauerum cumulis, truces oculos circumferens, caelo iraſci, & nouam caedem ructans, uertit in Virginem iras, magnitudini eius inuidens, nec uictoriã illius in tanta ciuium ruina ferẽs, ne in irritum tot conatus caderent: &, de uictoria diffiſus, pronuntiat, uiduari ceruicibus Virginem, ad ſolatium uictorum deorũ, ſuique. Lictores, accepto imperio, raptam Virginem in campum (ubi iacuerant trucidati martyres) traducunt. illic miles apprehenſae protendi caput, nudariq. collum mandat, multum rogans, obteſtansque, ut ſui apud Deũ reminiſceretur, in caeleſti thalamo cubans, relata ſpecie circumſtantium Angelorum. Tunc uictrix, moram deprecata, uertit ad ſpectatores oculos, monens, precansque, ut, abiecto inanium deorum cultu, Chriſtum percolerẽt, figerentque in eo ſalutis ſpem, memorata clementia, & cruciatuum magnitudine pro homine, & peccatore latorum. Verſa deinde ad caelum: Summe (inquit) regnator, primordij expers, finiſque, tibi laus, tibi gloria: ecce nudam, inermemque effudiſti in arenam aduerſus furentium iras, terroresque: &, numine tuo felix, iam uictoriae metam attingo. imbelli dexterae a forti milite, expertoque certaminum conceſſum eſt. tibi cano: tibi trophaea refero, tibi laureas: reſpice iam, meque ſecunda

aura proſequere: tibi preces, tibi uota dico, ſacroque: largire humiliter ſupplicanti ancillae, gratiarum largitor in tui nominis decus, ut, ſi quis Margaritae nomen cantu, obſequioque extulerit, aut erectis memoriis honorarit, uel rerum geſtarum monumenta hiſtoriae mandarit, aut urgente diſcrimine inuocarit, affluat is tuorum ubertate fauorum deletis criminibus, non daemonis inſidiis fractus, non fame, non fulmine, aut furore bellorum attritus, peto, regnator aeterne, non meo merito confiſa, aut faſtu elata, ſed in haec me promiſſa tua traducunt, quibus cultores nominis tui in daemonis, miniſtrorumque eius ludibrium ſuauiter beaſti. ſummum ſumma decent. ſiſte me amictam gratiae tuae iubare beatiſſimis pedibus: tu mihi Deus, tu Pater, tu Dominus: tota in te ſpes mea haeret. Cum ad hunc locum deueniſſem, haeſit animus ancipitibus implexus, fuerit ne germana, & uera narratio, an ex rudis ſcriptoris ſenſu deprompta. &, licet fas, piumque ſit, optima quaeque meditari, opinarique de Deo, cui non eſt impoſſibile omne uerbum, & ex cuius uberrimo, perennique fonte cuncta affluentiſſime in animarum ſalutem noſtrarũ emanant, haud decere uidetur ſummam Virginis modeſtiam, ſubmiſſionemque, tam confidenter, elateque caeleſtia tentaſſe: & res fabulae ſimilis apparet. hinc nutãtes animi, & ſtomachus aduerſus auctorem, allatrante huius Virginis monumentis Radulpho Tung. atque inter apocrypha numerãte. adeo rebus etiam ueris officit inſcitia ſcriptoris: ſed ita tulere ſuperiora ſaecula, infelici diſciplinarũ ſterilitate damnata: &, ſi liceat uetuſtati conferre noſtrates, adſunt hac in re dubitantes Iulius Antonius Sanctorius Cardinalis, patruus meus, nõ mediocriter in Eccleſiaſticis rebus uerſatus, & doctorum hominum iudicio diſertiſſimo, ac ſapientiſsimo cuique conferendus, & P. Robertus Bellarminius, celebritate, & gloria ſcriptorũ memorabilis, clariſsi-

riſſimusque, & P.Hieronymus Florauantius, egregij nominis Theologus, quattuorque linguarum peritia inſignis, meique amantiſsimus, ambo ex Societate I E S V, diſciplinaque. Libuit haec attexuiſſe, ne in re grauiſsima inſcitiae, aut ignauiae argueremur, tamquam triuij rumores colligentes, contra dignitatem hiſtoriae, cuius anima in ueritate conſiſtit, ac uoluminibus inſerentes. Sed ad rem. Poſt preces quatitur extemplo ſolum ingenti ſuccuſsione, adeo, ut multi ex ſpectatoribus humi prociderent, attoniti, ſtupentesque, ac uix ſenſibus haerentes. procubuit & ipſe paratus in caedem miles. uoxque Chriſti inter caeleſtis regiae apparatum, & fulgentia beatarum mentium agmina perculit cum fulgore audientium aures, oculosque, pollicentis Virgini felicitatem, uotorumque petitionem. Tunc Margarita, laetitia geſtiens, uerſa ad ſpiculatorem, Agedum miles, inquit, feri, & cruenta ſecurim, expleto iubentis imperio: non paueat imbelle iugulum, exarmatumque, robuſta Romani militis dextera: & gaudia mea mucrone tuo accelera. Tunc pauere miles, recuſare facinus, indignari ictum, compeſcere ferrum incepit. Sed, rogatu uictricis ſuauiter perſuaſus, multo cum gemitu, triſtis, maerensque, atque inuitus, ſtricto gladio diſcindit Virgini collum, XIII. Kal. Auguſti. Graeci uictoriam illius XVI. Kal. Auguſti Faſtis adſcribunt, celebrantque. Anima eius effuſa per auras, in comitatu Angelorum, ac caeleſtium ſpirituum, ad regnatoris conſpectum, ſinumque tranſſcendit cum eo, beatiſsime, aeterneque regnatura, noſtri non incurioſa, ſi inuictae fortitudinis exemplo ad caeleſtia tendamus.

S. DOROTHEA VIII.

DOrothea Caeſareae, in Cappadocia, celebri opido, & gentis metropoli, naſcitur, praeclara familia, haud contemnendis fortunis: quae cũ adoleſcentiae annos attigiſſet, incredibile dictu eſt, quanta pietate Chriſtum amplexata eius exarſerit amore, Romaniſq. haud pauide collum ſecuribus ſubiecerit. adoleſcebant cum illa non aetas modo, & eximia corporis ſpecies, uerum etiam mores caſtiſſimi, uita ſancta, &, quod auguſtius in Virgine eſt, uotum caſtitatis, in ea praeſertim caeli plaga, in qua omnis turpitudo uerſabatur inter obſceniſſimam Venerem, & ludibria corporis, uel in aris praerepta puellis Virginitate, & id in gloria apud Orientis gentes. inerat illi comitas morum cum dignitate: ſermo ei non niſi de Chriſto: nullo corporis ouabat ornatu: aſſidua in precibus. his clara nominibus Dorothea, facile praetoriis faſcibus innotuit. Sapricius tunc Cappadociam regebat, moribus, & continentia non ſpernendus, &, ſi abſtinuiſſet a Chriſtianorum ſuppliciis, prorſus laude dignus, per funeſta, exſecrandaque IX. Caeſarum edicta iactata Chriſtiana Eccleſia. ſed ea tẽpeſtate paullatim mitigata in noſtros ethnicorum rabies uidebatur. Iunio Maximo iterum, & Aquilino conſulibus, ambobus Auguſtis Diocletiano Iouio, & Maximiano Herculeo barbaricis implicatis bellis,

Germanis turbide, Herulis, Chaibonibus, Alemannis in Martem effuſis, & Burgundionibus Gallias uaſtantibus, rebellanteque in Britannia Carauſio, Sarmatarumque incurſibus afflicta Dacia, Oriēte tamen uirtute Diocletiani pacato, fractis paullo ante ingenti Marte Sarracenis, Parthisque, Narſete etiam rege Perſarum non audente laceſſere Romanas Aquilas. ſed ea ſerenitas, paullatim uerſa in nubem, ſubito obturbata, diu per aera lente uolitans, ad IIX. Diocletiani, & VII. Collegae conſulatum, & ad ipſa amborum uicennalia foediſſimū cruoris, caedium, & fulminum imbrem effuſura erat. Ceterum Dorothea, rapta a penatibus, ad Sapricium ante tribunal adducitur: qui, contemplatus Virginis pulchritudinem, & lineamenta, erectamque ceruicē alta repraeſentantem, ita cum Virgine eſt locutus: Magna dudum de te nobis relata accepimus: cuncta nunc, & maiora, praeſentia, & oculis deprehēdimus: ideo excelſiora de te exſpectamus: nec dubia de ſalute ſperamus, ſi aeternorum uolueris amplecti ſacra deum, & Dianae ante aras flectere genu, quam apud uos, gentiliciis ritibus, quam religioſiſsime ad Caſtabalam, in ipſo Peraſiae Dianae fano, coli uidimus, quamq. in tanta ueneratione, & prodigio ſacrificae mulieres, illaeſo per prunas decurrētes pede, habent. id imperatum diualibus reſcriptis, & numinū iuſſis. ſic placitum Auguſtis omnino explodi Chriſtianam ſuperſtitionem, quamobrem te accerſendā hac de cauſſa putauimus, ut, abiecta hac ſeruili condicione, ueteribus, patriisque reconciliata diis, fruare hac optatiſſima luce, &, in praeclari thoro uiri locata, dignam pulchritudine tua Romano prolē gignas imperio. quaeratur uno tempore, cum uoluptate corporis, animae ſalus a benignitate deorum immortalium. ſin aliter, dira, & acerba, atque immania prorſus tibi ſupplicia manent; belluaeq. in morem mactata, deorum offenſis, & temeratae religioni ſa-

In ſatisfeceris. abhorrens hoc a lenitate Romana,ſed tutum, ac neceſſarium: cum caritate liberorum antiquius apud nos ſit auguſtale ſacramentum, & numen, aequata praeſertim, fauore deorum, ipſi Olympo Capitolij arce. ſic maiores nos docuere: ita nobis tradere poſteris in animo eſt. Cui Dorothea: Non inepte, Saprici,& procul Romana conſuetudine loqueris, nec iniuſte faceres ſancitis Principum implendis, niſi praepotentiori, auguſtiorique parendum foret,qui diuerſa multum(quoad ſalutem animarum attinet) a principibus tradit tuis. ipſi parendum iampridem in animum induxi: idque, dum animo ſpirabo meo, conſtantiſſime me tibi facturam polliceor. iuſtiſsima ratio ſuadet, & immenſa praemia alliciunt. a uobis, diiſque, nec ſalutem uolo, nec dignor, quorum diriſsimus occaſus, & ſemper in cruciatibus trahendus ſpiritus eſt, qui nec illudentes ſibi queunt ulciſci, nec uenerantes digna compenſare mercede. quae tu modo tormenta, & minas iactas, facile contemno: tempore enim finiuntur, & morte. alia ſunt pertimeſcenda, quae & acerbitate, & aeternitate intolerabilia ſunt, & inuitis ferenda nefariis. haec praecauere, in animo eſt. cetera ſuperi uiderint, quos non longe a ſalute mea eſſe ſpero, & affuturos in tempore: quorum ſi gratis animis ampliſsima metiremini beneficia, non tam impie in nefaria ſacra, cultuſque deſciſceretis, honoratis ſaxis, & beſtiis. Tunc Sapricius, mollem in Virgine animũ cum credidiſſet, & nutantem mentem, ubi ferociter ſe repulſum uidet, animi dolore incenſus, nudari illam, & in equuleum ſuſpendi iubet, ut, intra cruciatus corruente audacia, reſipiſceret, mentemque ad ſaniora conſilia retorqueret. non enim credere,tenellum corpus ſtaturum aduerſus ſupplicia,& ſpreturum,quae immaniter obiicerentur, aliter uerbis pugnandum, aliter corpore tolerandũ. Sed Dorothea, magnanima uoce, intrepide, ſaeuientis

uultum Praefecti reſpiciẽs, Vrge (aiebat) ſupplicia, Romane: ne me longa more retarda, quo minus illius perfruar amore, ob cuius nomen, & cupiditatẽ inter beſtiarum dentes, ſtrictos mucrones, uirgarum crepitus, flammarumque globos affligi, uexari, cruciari, laniari, trucidarique non paueo. Quis eſt (inquit tunc Praefectus) & ubi ille, cuius te ita ſuccenſam uidendi cupiditate oſtendis? Et Dorothea: Chriſtus Dei filius eſt, ſine initio, & fine, qui omnia complet, molitur, gubernat, & regit, cũ uictrici acie, laureatisque bellatoribus, ad dexteram ſedit Patris cũ almo Spiritu, ubi aeterna caeleſtis ſunt gaudia regni, uernãtes uel ſub Boote roſae, uariata lilia, mira florum ubertas, & amoeniſsimi horti, perpetuo uirentibus ueſtiti arboribus, & ſuauiſsimis ornati fructibus. ibi coronatae Virgines, & caeleſtium agmina accolarum infinita cum canticis, tripudiisque decurrunt, & ſempiternum habent domicilium, nullo uel hoſtili fragore pulſandum, aut praedatoria uellendum manu, luctu ue funeſtandũ. Et Sapricius, ceruicem quatiens: Relinquendae ſunt iſtae fabulae, (puella) & ſacra faciunda diis. pulcherrimi te (cum pulchram pulchra deceant) thalamo uiri ſociabimus: ne miſere, & ignobiliter pereas. Et Virgo: Nec infandorum aduoluam Idolorum ſimulacris genu: nec alius, praeter Chriſtum, de uirginitate ouabit mea: quicum perbreui tempore optatas iam diu, & feliciſſimas aeterna in aula celebraturam me nuptias ſpero. Tunc Romanus, miratus conſtantiam Virginis, ſimulq. miſeratus aetatis, in tanto uultus ſplendore, & elegantia membrorum, & gloria, mitius cum puella agendum, & blanditiis molliundam ferociam ratus, (quippe nobilium pectora facile precibus quatiunrur, minis dureſcunt, neſcia ſuperiorem pati) ex equuleo depoſitam, duabus mulierculis, Chriſtae, & Caliſtiae, a uera pietate, certoq. numinis cultu abducendam tradidit. hae, paullo ante

Chri-

Chriſtianae, acerbitate, metúque poenarum uictae, muliebriter idolorum ad ſacra defecerant, auctae poſtmodũ fortunis, & gratia apud Praeſidem: ut hac ſpe lucri allecti, obcaecatique piorum animi facilius ſuccumberent, & nefarie deſciſcentes, idola uenerarentur. Sed longe diuerſum a uotis Praetoris pugna inter Dorotheam, & mulieres ſortitur euentũ, uerſis in luctum gaudiis, queis ethnicorum paullo ante tripudiarant animi, captisque, quae tendebãt inſidias, rurſusq. ad ea perferenda incitatis, quae antea exhorruerãt, ſupplicia. diu anceps proelium: utrimque ſumma ui cõcurſum: uictoria demum penes Dorotheam fuit, compulſis aduerſariis fatendum ad ſcelus, expetendamque errati ueniam, horrentibus nocentium pectoribus, cognitoque facinore attonitis, oratione poſtmodum puellae ſubleuatis, cõmemoratis paſſim ueteribus aliorum Sanctorum exemplis, dicẽtis, primam in Eccleſia laudem eſſe, omni carere crimine; proximam, non deſperare. ſic initia mortalium, progenitoresque, intemperantia, & cupidine pollutis faucibus, optataque arcana ſcientia, a ſummo uoluptatũ, gloriaeque faſtigio in ima miſeriarum lapſos, erectos tamen fletibus perpetuis, & paenitentia, locatosque perenni in beatitudine inter primos caeleſtium ordines, coruſcantesque beatarum mentium acies; Petrum Chriſtianae uerticem Eccleſiae fundamentum, baſem, lumen, decusque ſempiternum impie eadem factitaſſe, nec tamen deſperaſſe. Dauidem, tanti nominis Regem, tantis ornatum laudum praeconiis, turpiter adulterio bacchatum, diriter parricido cruentum refugiſſe in complexum diuinae clemẽtiae; nec Mariam Magdalenam in turritae faſtu comae, oculorumque flagrantia, ac genarum fulgore a Deo ſuppliciter inter pudorem ſui, doloremque, & cachinna fortaſſ amantium petentem ueniam a regnantis pedibus *fuiſſe reiectam: Matthaeum, infami graſſantem lucro, in- *forſitan

ter

ter nundinarũ fraudes,rapinasq. ſubito nobilitatum prae rogatiua Apoſtolatus, uel Phariſaico indignante coetu, ac praedamnante : Paulum quoque, ferociſſime aſſurgentem piorum in necem,molientemque naſcenti excidium Eccleſiae, repentino mutatum, & duodecima curuli honeſtatum : nullum maius, atrociuſue exſiſtere ſcelus, quam deſperatione diuinae pietatis laudem infringere : ideo Chriſtum ſanguineis deſudaſſe roribus; ideo pependiſſe in cruce perpeſſum uirgarum diritatem, laniationẽque ceruicis; ideo hiantia laterum uulnera, perforatasque manus, & traiectos immaniter ferro pedes oſtentaſſe,ut nulli erranti paenitentique ſpes ueniae praeclideretur; nemoque errata deplorans ſaeuum aliquid moliretur. Oratione Virginis certam in ſpem ueniae traductae mulieres,expulſo pauore,iam ingentia agitare,uelle mori,datisque generoſe ceruicibus expiare piaculum,atque eluere ignominiam certa pectorum pernicie:mox accerſitae a Praefecto,interrogataeque, quid cum Dorothea egiſſent,an obſtinatam fregiſſent mentem,mitigaſſentque ferocem animum, ingenti edito gemitu,proruente etiam lacryma,priſtinã exſecrantes impietatem,Chriſtum cõfitentur,irriſis Idolorum ſacrificijs. Concitatus tunc rabie Sapricius,animique percitus dolore, turgentibus uenis,emicantibusque luminibus, imperat circumdari ambas uinculis : protinusque demiſſas in cuppam (ni iterata impietate Chriſtum abnegarent, dijsque ſacra facerent) torreri praeſente Dorothea, quo alto pectori ex atrocitate ſpectaculi terror incuteretur. itum in ignem impauide a mulieribus, ueniam dumtaxat a Deo expoſcentibus : nullus effuſus gemitus,timoriſue editum ſignum. Dorothea illas iuuare uoce, attollere animos, demere cruciatus,commemoratis caeleſtis aulae uoluptatibus,& aeterna pace poſt breue tormentum.at mulieres ad extremum aeſtu nimio intercluſa uoce, inclinatis ceruicibus,

ueluti

ueluti gratias agentes laetae, ridentesque efflauere animas. Tunc Praefectus ſuſpendi iterum in equuleum Virginem, iterum uoce agitari mãdat. Laetiſſima Dorothea, &, ueluti inter tripudia, & cantilenas, ducente choreas. Sed Praefectus, fictam ad tempus conſtantiam, magnitudinemque animi credens, his Virginem compellat: Infelix, percitaque furore, laeta ſic faciẽ, ac lumina circũfers, & quaſi inter cruciatus, poenasque triumphans dolorem occludis? Vnde id hauſtum? nulla ſimulatio, elatiſſima feminarum, Romanae te ſecuri ſubduxerit. haud talia Cappadoci pectora, ſpiritusque, recrudeſcit ſeruilis animus, gaudetque propriorum in laniatione membrorum. his te miſera credis in immortali fama fore, his contemnere iuſſa diuorum? tantum ne roboris, tantumque fallaciae magico carmini ineſt? ſic te uel tenellam docuere hoſtes deorum, ex fetore Iudaico, ſordibusque prognati, perque deteſtanda ſacra traductam aduerſus Auguſtos, patriosque firmauere deos iniecta aeternitatis ſpe? noſcite mortales, qui urbem adoratis aeternam, Diuorũque animas, Chriſtianorum fallum: deprehendite taeter rimae ſuperſtitionis conſilia. Tunc Virgo: Laetãdi cauſſae ſubeunt plurimae: ſed duabus potiſſimum exſulto; ereptis daemonum ex faucibus, dolo, & miniſterio tuo, in eas praecipitatis anguſtias, duabus illis innoxijs; & ipſa iam iamque praecurrente ad fruendam cum illis perennem illam felicitatem, in hoc etiam tibi gratias ago. At Praefectus pendenti ex equuleo Virgini ſubiectis latera facibus aduri, ingentique ſaxorum pondere pendentia membra affligi iubere. Et Virgo eo laetior ouare, tranquillasque oculorum faces in Praefectum dirigere, uoce quoque Idolorũ imbecillitatem atterere, eleuare cruciatus, irridereque Praefecti conatus his dictis. Labas iam, Saprici, & conſilio nutas: furor iſte tuus incertum ad finem non incerte iactatur. nullae ſuperſunt dijs iam tuis

ad me

ad me domandam uires: hebeſcit ipſe iam mucro: flammarumq. uis irridetur. o quam uilis Romanorum potentia deorum: o quam futiles irae numinũ. Laeſa parcunt, ulciſci non ualentia: unius puellae pectore Romana maieſtas obſcuratur, atque eluditur diriſſima tormentorum uis, cruentiſſimaque rabies. profecto nihil apud nos ſine numine geritur. uictores iam undique euadimus: quidquid horrendum, atque immane adſtat, proterimus, Iouemque ueſtrum infame ludibrium, uel inter ferri aciem, ipſaque in morte glorioſe proſternimus, atque in extrema Chaos eiulantem deuoluimus. & tu, infelix, de me triumphum ſperas, credisq. Chriſtianae Religionis proteri robur poſſe, ac tantum pietatis ardorem tuis donare diis, applicarique nefaſtis aris? Vehementius, terribiliusque hac oratione conuulneratus Praefectus, incuſſa deſperatione, fremere, indignarique: imperat deponi ex equuleo, obuerberarique irridẽtis os, cum exprobratione. tundatur, inquiens, maledicum os, diis, Caeſaribusque non parcens. Feſſis aduerſariis, non ſatiata rabie, ſuperati Praefecti furores, & omnia circum attonita uiſa, multorum pectoribus inuſitato quodam horrore perſtrictis. Haud celebratura deihinc Cappadoccia Mithridatis Eupatoris quondam domini auſus Boſphorana laurea Scythicaque pernobiles per VI. & XL. annos uim Romanã ferociſſime laceſſentis tot naualibus, terreſtribusque copiis, aut Hypſicratiae patientiam miratura Perſica amictae, equoque inſidentis inter ignotas gẽtes, nec Romanorum fragore concuſſae armorum, uel ipſo pallente Hydaſpe, trementeque Arſacide. At Sapricius, diu inter dira, & ancipitia cruciatus, haud incerte tãdem euictus, recurrit ad nouiſſimum illud effugium, uti Virgo extremo ſupplicio plecteretur, recitata etiam ſẽtẽtia ex tabella, more maiorum, in hunc modum, uniuerſa audiẽte Ciuitate: Dorotheae, puellae, arrogantiſſimae Romanorũ nu-

minum contemptrici, rebelli a maiorū ſacris, cuiuſdam »
Crucifixi inſaniēti amore, elatā ceruicem in̄ amantis cō- »
temptum, abſcindi iubemus. Recitato per praeconē de- »
creto, exſultans Virgo gratias Chriſto agit, quod ſe tandem uictricem inter tormentorum acerbitatē, blandientisq. illecebras aduerſarij, caeleſtem ad thalamum euocaret. Mox digredienti a concione, tendentique ad mortem, quidam Theophilus declamator, non infimae inter aulicos cōdicionis, Praefecto acceptus, nec paribus grauis, qui ſaepe Virginem de ſponſi ſui opibus, de maieſtate, deque amoeniſſimis hortis in illa immenſa liliorum, florumque ubertate praedicantem audierat, fit obuius: atque ex aulae deriſu, faſtuque patrio, Eia, dixit, ad ſponſum iam properas tuum, Dorothea, trans ſidera? adeo ne patria tibi iſta ſordeſcit, ſicque penates exhorres, metita caelum, & aſtra? an liliorum fortaſſe illam ad ſedem ignotam nobis, patentemq. dumtaxat caeleſtibus odor, ac ſuauitas attrahit, uel uerecundante Panchaia, nec iam ſerpentes in ſui tutelam armāte inter tot raptorum manus? quam tumide delicias illas Praefecto coram commemoraſti? quam plena manu, & Aſiatico pectore, pulchritudinem florum, ac fructuum copiam extuliſti? num uera affaris? an obcaecata inſania iſta ſomnias? Tūc annuenti Dorotheae, & maiora affirmanti, ſubridens Theophilus, Non parua (reſpondit) horum uidendorum teneor cupiditate: equidem maxime laetarer, in hoc tuo ſplendidiſſimo nuptiarum apparatu, gaudiisque participem fieri roſarum, pomorumque, caneſcente praeſertim mole niuium Argaeo, hibernoque ſidere tota obrigente Cappadocia. Promittente Dorothea, iterum ſubortus gētili riſus cū cachinno. profecto illa nihil infelicius fuit aetate apud mortales: adeo aduerſus ueritatem obuallauerant ſuperſtitione animos, ut omnia, ſuas praeter fabulas, inania ducerent, ſpernerentque: credere agmina deo-

rum immenſa, furta Iouis, & adulteria, ac ſtupra, nunc tauri ſpeciem, uehentis trans mare Europam, uſurpantis, nunc aureum affundentis nimbum in puellae gremiū, interque caeli fragorem tonantis intra Iunonis lacertos impudiciſſime bacchantis, obſcena inſuper Phoebi, decantatosque amores, & catenatos ante currum illecebris deos, Gigantum bella, concuſſum Olympum, monſtruoſos partus, luctam illam Martis cum Venere foedam, atque ignominioſam, caeloque donata animantia, uerſosque belluinam in formam homines, exſutaque humanitate corticibus arborū circumueſtitos, quae, ueritate certiora, ludibrio habebant. omnia illa ſua ſacra redolere Venerem, & uoluptates: & ideo creditum his, & adſcripta faſtis: noſtra, caſtimoniam, & ſanctitatē repraeſentantia, ut nimis a mortalium guſtu remota, exterminari, damnarique. hac de cauſſa in noſtros grauis irarū moles, aeternumque bellum: noſtris illi uulneribus confecti cecidere: ipſi uicti uicimus. utinam hac noſtra tempeſtate par uirtutis exſiſteret aemulatio, & non degener a maioribus animus. laeti praeterita attollimus, nec praeſentibus erubeſcimus, torpidi, languentesq. in religione, properante iam nouiſſimum in excidiū orbe. At Dorothea, haud ſatis lōga impetrata a carnifice mora, in genua procumbens, ſuppliciter precatur, obteſtaturque Deum, ut ad oſtendendam magnitudinem, gloriamque, occludendaq. ſimul impiorum ora Gentilium, ſingulari prodigio non inſueto benignitati, ſuaeque magnificentiae, promiſſum impleret ab ſe factum, exſolueretque obſtrictam fidem, quam non diffiſa uirtuti, fauorique caeleſti obligaſſet infide illudenti Gentili. demiſſa ſtatim caelo beata mens puerili deſumpta ſpecie, habituq. tergeminam illi roſam, totidemq. in orario deferens poma ſuauitatis, odorisq. miri, quae per illum ipſum puerum datis mandatis Theophilo tranſmiſit. mox, protenta ceruice, impauide

pauide ictũ excepit VIII. Id. Februarij. relaxatus e corporis uinculis animus illico ſuperna petiit, reliquiae honorifice a Chriſtianis tumulatae fuere, tanto partu feliciter, nec immerito exſultante Cappadocia, aut ulli in Oriente gentium, prouinciarumque inuidente. At puer, digreſſus a Dorothea, properans in Praetorium, Theophilum, cum ſociis, illudentem Virgini, ſpernentemq. promiſſa offendit. quem cum tetigiſſet a latere, in partemque ſeuocaſſet, Haec tibi (inquit) dona ſanctiſſima Virgo Dorothea mittit, nec infida tibi, nec auara. legit haec ex ſui hortis ſponſi. ſi plura optas, patefacta iam uia per eius cruorem, marte tuo ſcrutaberis. ſtupor ingẽs aulicum inceſſit, motusq. ſenſu hiſcere, & tremere. mirari ſimul pueri in dicendo conſtantiam, atque prudentiam, latentemque in uultu lucem, inſuetamque mortalibus ſpeciem: inſpicere quoque poma, ad magnitudinẽ, pulchritudinemque attonitus; naribusque non raro admouere roſas; crederéq. brumam in ueris mutatam initia, & Piſcem in Tauri tranſiſſe ſignum, uerſosque caeleſtium motus orbium, & cuncta in aduerſa decurrere aſtra. Euaneſcente mox puero magis magiſq. pauore, admirationeque proſtratus, enarrata ſodalibus re uociferans, Chriſtum, audiente praetorio, confitetur, improbatque Deorum figmenta, & Auguſtalia ſancita. captus a miniſtris cum in confeſſione ueritatis fortiſſime perſiſteret, poſt acerbitatem equulei, ictum uerberum, ardorem ignis, capite priuatur, uicturus aeterna in ſaecula, cum ea, quam ſtulte antea eadem perferentem contempſerat, cuiusque precibus nulla in parte oculorum hebetata acie Solem fuerat contemplatus; ſalutaribusque illuſtratus radiis Virginis famam, & celſitudinem cumulauit cum laude, & praemio non mediocri ſui. quem utinam noſtrae aulici tempeſtatis imitarentur, reiectis illecebris, expulſaq. procul ambitione, qua immaniter exu-

ſti, in omne facile ſcelus labuntur. enimuero deſiſterent innoxium circumuenire calumniis, aut iugulare inuidia; non principem, dominumque ſcelerate adularentur; non pietatem effugarent; non inſultarent religioſis; non alterius famam amarulentis uerborum ictibus cruentarent; non pudicorum lectis, non ceſto Virginum nefarie inſidiarentur; nec tanta odiorum mole inter ſe cócurrerent, luctarenturque; nec auro graues denique geſtarent manus, abuſi fauore dominorum in inopum perniciem, nullo ſpoliorum aceruo expleta uoragine, cum bonorũ, malorumq. omnium perturbatione. Haec annuiſſe fatis. optime orbi conſuleretur, ſi his monſtris careret. Sed in queſtu, & deploratione remedij parum: &, ni animus, ad meliora reuocatus, uirtutem depereat, fruſtra dicentium uoces effunduntur.

[illegible]

S. AGNES IX.

MAius in deſcribēda Agnetis uita exſurgit opus, & rerum geſtarum magnitudine, & triumphorum gloria, generiſque ſplendore, longe, multumq. Cappadoci antecellente Romana, praeſertim inter tot aeternas ſcriptorum uoces,& diuina monumenta, qui de Agnetis praeconiis fuſiſſime, integerrimeque ſcripſere, quique adeo cunctis praeſtitere mortalibus ſcriptorum uarietate, diſciplinarum excellentia, acumine ingeniorum, ſanctitateque uitae, & fama, ut poſteritatis ſint miratura potius ſaecula, quam aemulatura. utcumque ſit, iuuabit pie audentem religio. Agnes patriam ſuam Romam oſtendit, utroque nata Chriſtiano parente, praeclaris natalibus, inter laticlauium, & purpuram. forma corporis in Virgine admirabilis, excellensque inter aequales ſanctimoniae, modeſtiae, caſtitatisque fama, non rudis eloquentia, taciturnitas mira, ingens manſuetudo,& demiſsio, uultus, corpusq. laſciuia, & munditiis prorſus carens, haud criſpato crine, delibuto ue unguentis, nec aurae commiſſo laſciuienti ad oſtentationem, pompamque: praetexta membra ueſtire, omne illi ſtudium in Chriſto fixum, illi uota caſtitate, paria celſitudini, ardorique animi pectora afferre. xiij. annorum bellatrix, uictrix, triumphatrix

pulſo

pulſo Ioue, debellata Veſta, profligata Venere in conſpectu populi Romani, ante aras penatium, & Capitolia, prima tirocinij rudimenta aduerſus libidinem pugnans, ſecurisque minas depoſuit, orta iniuria a iuuenili prurigine inter purpurae faſtum, & opes. nã Symphronij tunc Praefecti Vrbis filius, aetate florens, egregia corporis pulchritudine, audaciaque inſignis, doctus per illecebras, & meretricios amplexus attentare praetextatarum pudicitiam, coniectis in Agnetis lineamenta oculis, cum fortuna illi puellam inter aequales incedentẽ, reuertentemque litterario e ludo, in uſu id apud Romanos, & pulchrum non ignorare cunabula gentis, gloriam, ac faſtigium, & ſacra, (Cornelia Magni Scipionis ſorore mirae eloquentiae, ac famae in Vrbe ueluti Athenis in Academia publice haud multis ante ſaeculis profeſſa) in eo puellari comitatu facile principem uenuſtate, & formae decore iudicauit inter procacia ſodaliũ dicta, ſubſecutoque haud incerte omnium aſſenſu, ac murmure, ad aſtra Virginis ſpeciem tollentium, paullatim ſerpere libido, & ſpes irritari per taedas fruendae Virginis, ab oculis ad animum traducta prurigine areſcentia ingentem pectora traxere flammam, mutuatur ab amore conſilium, temeritate, & libidine ducibus. Non ſemel obuiam Virgini uiarum occurſat ad compita: nutrit in adſpectu furorem: mox decurrit ad Virginis parentes, haud eos dedignaturos credens ſortem, & fortunam nuptiarum: multa pollicetur: expoſcit Agnetem ſibi in uxorem: adfert pretioſiſſima ornamenta, purpuram auro intertextam, aureis diſtinctam clauis, uniones, margaritas, gemmata monilia, armillasque: tacitam uim, ſuſpiria, & preces miſcet: oſtentat pateſcentia pectoris uulnera, & ardorem: nõ ab ſe uile ſcortum ambiri, ſed nobiliſſimã Virginem ſibi parem, non ad libidinem, (cum facile inter alterius oſcula, amplexusque ſeſe poſſet effundere) ſed ad torum, mul-

tarum

tarum ſe prece puellarum allici, poſtpoſitis omnibus,uni Agneti animam,immenſoſque ſeruaturum ardores: omnium aliarum ſibi gloriam, & decora abiecta, & uilia, ac ſordida uideri: unam Agnetem mẽti ſuae imperaturam, moderaturamque: id ſibi eſſe in uotis,id ſperari a diis,id promitti a Virginis pietate, benignitateque praeſefert: aſſentirentur modo ipſi,paterna id auctoritate ſtabilirẽt, & ne ſe intempeſtiuo, ac lacrymabili fato inter florentiſſimas opes, & familiae ſpes, inter aeſtuantem ignem eximi ſinerent: caſurum id in praeclariſſimae dedecus Virginis, & in aeternum ſummae, inauditaeq. diritatis monumentum, Romanum a Romanis occiſum, amantem ab amata, iuuenẽ a puella, nullo ſuo commodo,praedicans. Conterruere iſtae uoces, & poſtulata utrumque Virginis parentem, cum eos nõ fugeret auerſam a connubio filiae mentem, animumque auguſtioribus rebus applicitum, non incerteque intelligentes iſta flamma Virgini lucem, & uſuram temporis ereptum iri. tamen, ne contemnere uiderentur iuſtas iuuenis preces, (cum miſeratio quoque pulſaſſet pectora ex dolore, & impatientia adoleſcentuli, in ordine praetextatorum aut principis, aut nemini cedentis) omnia in Virginem reiecere. Irriſa a Virgine poſtulata, reiectae preces, repudiata dona cum ſtomacho, perculſo iuuenis pectore, imminuta ſpe, non ſtrata cupidine. Saeuius aeſtuabat incendium, pugnare amor, impellere, & urgere furentem. haud quaquã primo concurſu uerti in fugam,& pelli puellarem faſtum, mora hebeſcere illam ferociam intra lacertos, & nimbos lacrymarum, languere uerecundiam, & modeſtiam crebros inter aſſultus, arteſque, pulſanda pectora dum multa intus ferueſcerent, dum iuuenta, uenus, calor, ſanguis, fortuna, & ſpes omnia quaterent, dum trepidatur, dum conſilia coquuntur, Virginem ſuopte ingenio praecipitem in uenerem, & uoluptatem gaudere amãtium angoribus,

ribus, & ouantem lacrymas conſpicere, haurireque gemitus, facile praeterea inter obtectam nubibus frontem, inter fulmina oculorum, minas, & ſonitum uocis, celare manifeſta gaudia, amplexari praeſentia, anhelare futura: generoſo praeterea iuueni turpe eſſe, cedere uix pugna tentata; & non magnanime prima uibrantis tela excipere: fortem illam, & cupidinem facile meretricia intra pectora, & obſcena deprehendi, implerique: at Virginis circa uallum dies, noctesq. inuigilandum: per aeſtus, algores, imbres, gelu, iniurias, deriſum, ludibria, inſomnia, per cruorem, per dura, acerba, ancipitia, & ardua uadendum ad palmam: eſſe iam ipſi ingeniũ, amplas ſuppetere opes, nomen, dignitatem, honores: eſſe ampliſſimas illi fortunas, fatalem amantium machinam ad expugnandam pudicitiam, quaſſandamq. obſtinationem animorum, praecipiti in auaritiam, & cupiditatem muliebri genere, ante oculos obiiciens: denuo itaque inſtat, tentat omnes aditus, rimatur occluſa, rapit in eandem cupidinem puellae gentiles, amicos, ancillas, circumcurſare penates, obſidere feneſtras, atria, & cubicula uorare oculis: ſaepe fores, ſaepe paries pro teſte, & pro amante fuere audiundis queſtibus, hauſtisque oſculis: demum, gentilium decora, & maiorum ornamenta ſecũ trahens, ipſius fruitur Virginis adſpectu, ea illi omnia elargitur, eam affatur uoce tremula, lingua haeſitante, ſermone blando, rupto ſaepe ſuſpiriis: ad extremum, cum trepide cauſſam ſuam peroraſſet, enarraſſetque poſtulata, elicuit arcanam indignabundae Virginis uocem, Vnde (dicentis) tanta audacia, os ita importunũ, frons adeo perfricata, degeneres preces, impia poſtulata, ac uilia dona? Sic nota Romano Romanarũ caſtimonia Virginum? ſic perlecta tibi maiorum exempla? ita ne in luce gentium, arceque rerum, & in tanta legum ſeueritate attentamur? abſcede a me, pabulum mortis, fons, &

origo

origo ſcelerum cur inutilem trahis morã? alius me multo & nobilitate, & magnitudine opum praeſtantior, glorioſior, excellentiorque te praeuenit amator. is pretioſiſſima mihi congeſſit ornamenta, quibus Ecbatana carent, quae nec uidit Halys, aut Memphiticae neuere manus: is me ſuo ſubarrauit anulo, cuius aeterna proſapia, aeterna decora, immortales opes: is dexteram meã, aures, colla uaſtis margaritis, & multa micante gemma inſigniuit, auro intertextam ueſtem iniecit cum baccato monili: ingentia auri pondera, nulloque cõſumenda aeuo, oſtentauit, pollicitus eſt, donauit. num illi uiolanda fides, abrumpenda nuptiarum ſpes? an alius illi praeferendus in tanto gloriae ſplendore, in tanto maieſtatis faſtigio, perpetuaque annorum ſerie? is mihi thalamum ſtrauit, erexitque, cuius iam pectore ſentio ardores, reſonantia exaudio organa inter Virginum cantilenas, & choreas: eius ex ore mella libaui, & lac: caſto me ille fouit amplexu, miſcuit corpora purpuratis meis cruore genis: cuius Virgo mater, genitor caelebs nulli cognitus feminae; cui caeleſtium famulantur agmina beatorum, cuius pulchritudinem Sol, Luna, aſtraque mirantur; cuius odore uitales mortuis afflantur aurae, & robur, uireſque debilibus; cuius denique inexhauſtae opes, & diuitiae: illi fidem ſoli ſeruo, totoque me illi pectore trado: quem cum amo, caſta ſum; cum tango, munda: cuius in toro caelibatus, & ſoboles, ſine gemitu, doloreque partus. ad quid inanes iſtas lacrymas, & uota effundere? mori potius generoſe ſtatutum, quam alienae libidini ſuccumbere. Hoc reſponſo ueluti altiſſimo ictus uulnere, omni iam profligata ſpe, amantium arce, & receptaculo, uultu maeſtiſſimo, deiectis luminibus, obtrementibus cruribus, nulla uoce, attonitus, & mortuo ſimilis, domum repetit: occluſoque cubiculo, ubi dolor, & rabies, alio praeſertim ſibi praelato amante, (id quod

altiſſime elatum iuuenis in pectus deſcēderat) laxare uocem, infeliciſſimum ſe appellare, incuſare numina, diraſque ſibi imprecari, caelum inſuper crudele, immania ſidera, unum in ſe uibratam omnem uim armorum, in ſe omnes faces, funeſto ſuo caſu expiatas amantium diras omnium, placatoſque deos, ſibi pro toro pheretrum, pro riſu lacrymas, pro gaudiis luctus, pro ſobole maerores aeternos, cruciatuſque, omnia ſui in excidium coniuraſſe fata, omnem aliorum acerbitatem fortuna ſua oblitteratam, atque tranſſcenſam: eiectum quidem Regno Tarquinium, ceterum impleto uoto; Clodium, temeratae religionis accerſitum, libaſſe oſcula amatae, amatae fuiſſe dilectum; Mundum exſilio damnatum, at per figmenta deum, & Dialium ſordes expleta libidine, in gremio requieſſe Paulinae: omnes denique inter angores, luctus, & tormēta aliquid habuiſſe gaudij, ſolum ſe inter amantes diri ſtatutum infelicis amoris prodigium dicere. Vbi uero poſt gemitus, queſtusq. laſſata torpor membra occupabat, per quietem omnia illi ficta, & ad nota obiici, excitus in ſpem, rurſus interrupta quiete, deprehēſa ueritate, ruere in gemitus, maerorem, iram, & deſperationem. Igitur non cibum ſumere, non affari amicos, fugere lucem, gaudere ſolitudine, obſitus ſqualore intabeſcere, tendereque ad occaſum uel inuitis haerēte pectoribus ad uulnus alte exulcerandum amatae imagine, interdum flebiles uoces, & uaſtā expromere ſuſpiria, & per ſtratum huc illuc uerſare latus. quaſſati omnium animi gentilium hoc infortunio, ingentique familia occupata maerore, maeſta omnia, & ſilentia: ſed mater omnium ſuperare maeſtitiam maeſtiſſima, ac lamentabili uoce, & murmure, lauare lacrymis languentis ora nati, oſculari faciem, tergere frontem, fouere pectora, cauſſam, & arcana doloris exquirens. par cura patrem urgere. fateretur, aperiret, (obteſtabantur) quo uiſcera ictu fauciarentur.

tur. omnem inſuper acerbitatem intus funeſtam, erumpentem facile mitigari: non eſſe deſperandum de ſalute, quidquid gentiles imagines, quidquid purpura, faſcesq. poſſent: promittere eius in gaudia, & imperata uerſum iri: exſueret modo pudorem in amplexu parentum: ne reticeret occultam uim ueneni, & mortis aſſerere. Ingemiſcente iuuene, (id illi pro uoce erat) recurſum ad Medicorum diſciplinam, artesque, obſeruato uenae iactu, & decurſu. non difficulter deprehenſum uulnus, ulceratum cupidine pectus, & transfixum amore animum graue malum, ſi longior remedij mora afferretur, & non dubium occaſum parentibus affirmauere Phyſici. exquiritur amatae nomen, & genus. ſtatim Agnetis gloria, ſplendorque, circumſtantium ad aures fertur. conclamatum ab uniuerſis, dignam Virginem, cui, ob morum ſuauitatem, comitatemque, cum animi moderatione, & altitudine, uel morte amantium parentaretur. digniſſimam iuueni flammam, dignamque mercede eſſe, non comparandam Antiochi in adamanda nouerca furori, ſi exſtitiſſet Heroum ad tempora reiecta Helena, nobiliſſimam armorum cauſſam, Romanarum profecto pulcherrimam, glorioſiſſimamque. Symphronius, poſthabita perſona, & faſcium terrore, demiſſe adſtare puellae ad ianuam, prehenſare parẽtes, aggredi precibus Virginem, ne tantam filij ſui pietatem, tantumque ardorem occidere, exſtinguique ſineret, neu florentiſſimum iuuenem, Romanae pubis decus, tantaeq. indolis, animorum peruicacia perditum iret, neu egregiam nominis exiſtimationem tam crudeli ruſticitate foedaret, reſponderet amori, fortunis frueretur ampliſsimis, perque faces, ludibria, & caſus uerſato amante, ideo datam a diis egregiam ſpeciem, inuſitataque decora, quo uerteret aliorum in commodum, & uoluptatem, cum inſigni nominis gloria, communicaret tot bona, moderaretur animi faſtum, regnaret, imperitaret,

ritaret, cum ſalute amantis. acceptum diis immortalibus Populi Romani nomen, & famam; per illuſtrem ſobolem late fundi, nec dona conculcari ſua, nec impari, barbaro ue, ſed Romanam Romano nupturam ediſſerens: ad haec pollicitationes addere, perque penatium obteſtationem deorum, & auguſta ſceptra, perque Virginis ſalutem, & ſpeciem demiſſe illam rogare, obſecrareque, commemorata etiam breuiter infelicitate ſua, ſi unicus intempeſtiuo fato eriperetur filius, quod haud dubie futurum eſset, ſi priſtinae ipſa opinioni inſiſteret. Haud mota adſpectu, aut precibus Virgo: par priori redditum reſponſum: turpe eſse, fidem ſemel datam fallere, nec unam duobus uno tempore nubere poſse. Hoc pacto reiectus Praefectus, non incurioſe rimari, explorareque nomen, genus, fortunas, gloriam, & patriam ſponſi Agnetis. diu inter iram, doloremque ſolicite in id incumbens, cognoſcit a familiari, Agnetē ab incunabulis Chriſtianis addictam ſacris, praedicantem Chriſtum eſse ſuū ſponſum, Zoroaſtricae haud ignaram diſciplinae. Fugatae extemplo e fronte nubes, pulſusq. pectoribus angor, & reſtituti Praefecto ſpiritus, patefacta uia ad extorquendum per uim, quod precibus fuerat denegatū, Auguſtalibus iam exſtantibus edictis aduerſus Chriſtianos. Enimuero Diocletianus Iouius, Maximianusque Herculeus, quaſsata Babylonia, Tygride ſubacto, Arſacidarumque faſtigio protrito, exciſis Quadis, Gothis, Carpis, Baſtarnisque, ac ſolutis tepente accolarum ſanguine Iſtri pruinis, areſcentibusque Maurorum aruis barbarico cruore exſaturatis, atrisque purpuratis arenis, prolatisque Imperij finibus, pace ubique gentium, praeterquam eorum in pectoribus, tranquilliſſima parta, Romae XI. Kal. Maij, ſplendidiſſime triumpharant; collatisque inter ſe conſiliis, inexpiabile Chriſtianis indixere bellū, ne molleſceret ſummo in otio ferri cupido, animorumq.

fero-

ferocia langueſceret. Itaque Diocletiano IIX. & Maximiano VII. Cōſulibus, Nicomediae duobus edictis Chriſtianorū ſcripta flammis abſumi, abolitis ſacrificiis, Chriſtianisque ritibus, Ioui, Martique offerri tura, & repugnantes diriſſimis cruciari ſuppliciis iubentur: mox, peractis uicennalibus, per uniuerſas gētes dirus mucro perſtringitur, infinita caede funeſtatis Prouinciis, corporibus diſciſſis, auulſis membris, truncatis ceruicibus, decurrenteque amnis in morem trucidatorum ſanguine. inſignes relati a pugnantibus triumphi, crebrae uictoriae, nobiliſſima trophaea: ſumma inter cruciatus, mortemq. oſtentata animorū conſtantia, ſumma uirtus, irriſae poenae, ultroque accerſitae, cum ludibrio Auguſtorum, ingentes praedae partae, & clariſſima ſpolia, uel in Caeſareo gynecaeo, Auguſtarum frontibus auguſta cruce micantibus, ſuperata perſecutorum audacia, retuſo mucrone, aut hebeſcente acie: demum cruentiſſimis proeliis concurſum, praeclariſſimeq. a noſtris debellatum, compulſis priuatam ad uitam depoſito trabearū fulgore Diocletiano, & Maximiano. Igitur cum fremitu miſsi, qui Virginem ad tribunal attraherent. magnus circa Virginem parentum, aequalium, ancillarumque ſubortus fletus, repercuſsis manibus, paſſoque crine. At ipſa Virgo, interrita, uultuque laetiſsima, affari, placideq. ſuam lugentes uicem conſolari: ac, certa de uictoria, ipſis lictoribus dignatione oris, corporisque uenerabilis, ad Praefectum acceſsit. In eximia Virginis forma, adſpectuque, aduerſarij mollita ferocitas, & ingeminata erga filiū caritas, non in uilia, & pudenda labantem. oratio quoque mollis, & blanda, longo captato initio: mox minae additae, & reſpectata uis cruciatuum, omnibus a Virgine illuſis. Poſtera die paribus laboribus inſudatum haud feliciori euentu. ſi horreret ſacra thalami, ſi caſtitas tantopere illi probaretur, ſi Geganiam, Vereniam, Canaleiā,

Claudiamque aemularetur, ſi cuperet Sibyllae nomen, & famam, expulſis Chriſtianis ritibus, & ferali damnatarum artium murmure, Veſtae ante aras obuolueret genua: eſſe illi locum, uel ad famam, uel ad gloriam: aſſeruari in eo ſacrato Virginum coetu ignem perpetuum, ac ſempiternum, Romanique fatale pignus Imperij Palladium, Troianas inter flammas, cineresque ereptum: nihil illi poſſe honorificentius, auguſtiusque accidere: triginta annorum uirginitatē poſſe ingenti ſua gloria claudere: non ſpernendum illum ſacratum Virginum cōuentum, queis ſubmitteret faſces aeterna Senatus, Auguſtorumque auctoritas: de uia cederet, & triumphorum intra gaudia, ſplendoremque tantum tribueret: hoc non dedignatas uel nobiliſsimas, pulcherrimasque aeuo in omni, oſtentare. Cui Agnes: Filij paulo ante tui nuptias ſum deteſtata, alijs fortaſſe non ſpretas: qui etſi in ueſtigio labat, & patrio ad occaſum more decurrit, utitur tamen benigno caeli adſpectu fulgentis, non aura, luceque priuatur, uiget opibus, ſpecie, roboreque iuuentae. hunc Chriſti ob amorem ſpreui, dedignataque haud immerito ſum: compellor nunc ſaxeis, aeratisque flectere genu idolis, in ſummi contemptum Dei? atrox impietas, ſummum ſcelus, inexpiabile nefas. etenim apud omnes gentes deſciſcere a religione horrendum piaculum, & merito, Chriſtianis uero non modo id funeſtū, ſed prope abſque ſpe reconciliationis. nō enim in fictili ſtructura, aut artificis manu elaborata, diuina Chriſti conſiſtit maieſtas. is pedibus aſtra premit, ipſe nos motu, & aura donat, & ab eo pendent omnia: ipſe principia ſtatuit rerū, & certo in ordine locauit: Veſtam iſtam Pythagoreorum haud infitior non ſolum uolui circa ignem, ueluti aeternae uirtutis imaginem, a Numa Rege amico (ut ueſtrae fabulae canunt) Nymphis, Camoenisque conſtitutam, uerum etiam igne cremari ſempiterno, iam ueſtrorum ab

occaſu patiendorum non incertũ cruciatuum pignus habetis. de Regina, & dea ueſtra nullis conſpecta uiris ſupplicium apud inferos ſumitur. idem & uobis illius cultoribus manet. alia mihi mẽs eſt, & multum ab inſcitia, erroribusque ueſtris diuerſa. non niſi Chriſtum colere, & illi ſeruire, in animo eſt. ſi illius ob nomen, amoremque tormenta ſubeam, id mihi in fama, & gloria. Quam Praefectus elate loquentẽ admirans, ſimulq. excipiens, Puellarem (inquit) iſtam aetatulam quam uelim ratione firmatam? magnis contumeliis inuicta deorum numina faceſſis: tolero haud impatienter. damus id nimis tenellae aetati, damus pulchritudini: noli, quaeſo, Agnes, teipſam eo inſania deiicere, unde iuſtas numinum iras ſentias. trahit aliquando omnia debita ſecum ultio: laceſſitique dij rebellantes dignis ſolent mactare ſuppliciis, quos antea inſanientes multa miſeratione pertulerunt. Cui Agnes: Ne tibi mea contemptum aetas pariat: fides, & religio haudquaquam percenſis annorum luſtris, ſed conſilio nititur: & mens accepta Deo magis, quam ſpatia aetatum: nullum apud te, tuosq. deos deprecor gratiae locum. ſi quid ipſi a me uelint, me alloquentur: eorum non horreo adſpectum, nec reformido congreſſum: ſatis eorum noui imbecillitatẽ, & nudata robore pectora, & ſaepe deluſa terga, ſpretamque dexteram, ſatis inſcitiam, & fraudes: id per te agunt, id moliuntur, in hoc ardentiſſime, cupidiſſimeq. incumbunt, ut omnia ſecum in exitium trahant, paresque ſecum ſentiat omnis mortalitas poenas. at tu fruſtra deſudas, ruetque in irritum tam impiae ſpei uotũ: nec ipſi in ſuſcepti diſcrimine belli, ſignorumq. mox conferendorum terrore fortunã ſuam laetanter excipient, meq. ſibi ceſſiſſe tripudiabunt. cuncta iam belli ipſa felicis omina, certaeq. pignora uictoriae habeo: quandoquidem eo in pectore, ubi Chriſti effloreſcit amor, uigetque pietas, nullus inſidet mortalium

pauor, certusque ineſt de ueſtris diis, tyrannorumque crudelitate triumphus,& palma. Et Symphronius: Duorum iam tibi eligendorum optio datur, aut aliis cum uirginibus patrio ritu, ac pietate procumbendi Veſtae ante ſimulacrum, aeternosque focos, aut ad gentilium dedecus turpiter in lupanari inter multorum amplexus, & libidinem amittendae pudicitiae:&,ad aceruandum dolorem, faceſſendamque inſigniorem contumeliā, a tuo arcebitur congreſſu ſacrilegum Chriſtianorū genus, ut horum impiis denudata carminibus, ad ſummā Chriſti tui turpitudinem, caeleſtisque (ut dicis ipſa) ludibria tori, inter infanda, atque obſcena uerſeris. Et Virgo: Ideo ſic ſcelerate faris, ſicque crudeliter fremis, tamq. impia, & indigna Romano homine minaris, quia Dei mei nondum clade tua es uirtutem expertus, tremendique roboris ictum: at perſpectae mihi illius opes, ſumma poteſtas, notaque benignitas, & largiter cōmunicati fauores, omnem tui, idolorumque timorem eximunt, penitusq. propellunt. extenta meū in auxilium, fauoremq. Ieſu Chriſti dextera tonat, iam fulminat: a nullo corpus uiolabitur meum: multoque cruore uadenti ad facinus pudicitia ſtabit Agnetis, emicabitq. alterius cum pernicie caeleſtis mucro, nec indignas libidini dabit inferias: nō fragilis pro me obiicitur murus, non tuorum ariete deum, non ullo fraudum, ſcelerumque machinamento quaſſandus, aut minarum ſternendus, uellendusque terroribus; aſſurgant licet aera in proelium, capeſſant marmora pugnas. hominum haec funduntur in uſum, ſaepeque his plateae ſternuntur, effulgentque inter teſſellati operis, uermiculatique emblematis pretium pauimenta domorum, & curiae. pro, quam neglecta deorum turba, quam uile agmen, quam praefracta acies, nulli metuenda bellanti ſub Crucis uexillo? Tunc Praefectus, uehementer indignatus, exſui ueſtibus Virginem, & ita nudam duci

in lu-

in lupanar, perque bucinatorem inuitari ad ſcelus impudicos, ſimulq. his poenis deorum expiari diras, ſoluente noxam puella iubet: Sed nudatae Agneti, (cum undique laſciua a iuuentute ad ſpectaculum auidiſſime, cupidiſſimeque concurreretur, iamque omnium mente agitarentur, uorarēturque inaeſtimabilis decora pulchritudinis,) laxati fudere ſe crines, fruſtrati ſpectātium lucem, atque cupidinem, obtecta niue. non animaduerſum prodigium caeca apud pectora, & auida ultionis, & haud affixum Martiae gentis animo, ſi intellectum, haud adſcriptum ueneficiis, damnatoque carmini, nec itum tantum in dedecus dehoneſtatis pudicorum oculis, mentibusque nullius uerecundia uirginalem excellentiam, gloriamque, & gentilicia inſignia tuente. Virginem Romanam, nobiliſſimo genere, decoreq. pulchritudinis ſplendidiſsimam, tantae modo gloriae, & famae, ſingulariſsimaeque pudicitiae, & nulli Virginum, matronarumque inferiorem, quod iniuſtas alterius flāmas repreſsiſſet, & impia amantis uota ſpreuiſſet, infregiſſetque nefariam ſpem, & quod ſe dignam patria, dignam maioribus oſtentaſset, trahi ad infame proſtibulum inter ſcurras, ſaltatores, mimos, lenones, ſcortaque impuriſsima. non iſta ſancita Senatus, nō praecepta maiorum, qui omnibus uirtutibus, tum caſtimonia praecipue excelluere, quique muliebrium nudationem membrorum, ne in rebelles quidem, captosq. uſurparunt. mortuis ſemel Veſtalibus hoc ignominiae uulnus a Mileſijs (cū deſperatione diriter in uiſcera saeuirent ſua) ad terrendas reliquas hoc miſerabili, ignominioſiſsimoque ſpectaculo inflictum: luce functas, animasque haec poena perſtringere, non uiuentes, quae tamen nimis inhumana, nimis crudelis, atroxque in ciuem, & Virginem uiſa. at non uirginitati uis, & ſigna inferebantur, nec data teſsera. concinentibus tubis, emiſsarij, gladiatoresque in pudicitiae arcem, aeternumque domici-

lium impuriſsime, crudeliſsimeque immittebantur, nec eminentiſsimũ caſtitatis faſtigium conculcari, propriumue exſtirpari feminae decus, nec tam infame ſacrum diis offerebatur, mactabaturque ea Veneri, ac cupidini uicti-ma, inuicti Quirini legibus nõ modo de pudicitia corporis, oculorumque, ſed ne uerbis labefactaretur obſcenis perſancte prouiſum. pro ſcelus, non iam Spartana id agebatur in Vrbe inter pancratium, ac luctã puellarum, foediſsima Graecae libidinis, atque impudẽtiae monumenta, ac perpetuas infamiae notas. non iam Babylon, Naſamones, foediq. Arabum populi, cognatae ueneris ſoboles, iura orbi dabant. ſtabat Senatus, & Capitolij culmina uiſebantur, monſtrabanturque aedes Pudicitiae, & ſacra Veſtae, & tamen tantum uſurpari facinus, nefasque; & adeſse, qui probarent ſcelus, & flagitium, attollerentque ſupplicium laudibus inter indecentiſsimos iuuenum riſus, libidinem, ac procacitatem, tripudiaque meretricum, lenonumque, quaſi eorum nefariae artes eo pignore nobilitarentur, meretricibusque ſummae, excelſiſsimaeque Virginis ſocietate turpitudines, & dedecora ſua non uelata modo cenſentibus, ſed apud omnes gentes illuſtrata, collocataq. in gremio honoris, famaeque. fuiſset hoc tolerandum Caligulae, Neronis, Othonis, Vitellij, Heliogabali, Galienique temporibus, quorũ inſatiata, ſcelerataque libido per diriſsima, foediſsimaque flagitia, inter crocotae, mitraeque ornatum, ac inter ſtrophij, pſaltriique laſciuiam, uariatorumque mollitiem faſciolum ſanctiſsima uetuſtatis iura, Caeſarum nomen, remque Romanam fuerat depopulata, orbemque terrarum eadem flagitiorũ lue, & corruptela dedecorarat. At iſta Diocletiani, & Maximiani modeſtia non norat: quibus etſi Chriſtianum nomen quam maxime inuiſum eſſet, ingrata tamen ſemper fuere turpitudinis, & libidinis exempla; &, ſi a Chriſtiano ſanguine continuiſsent ambo ma-

bo manus, omnium ſuperiorum Caeſarum gloriã tranſ-ſcendiſsent. ea illorum fuerat rerum geſtarum magnitudo, ea continentia, & felicitas, roburque pectorum, & audacia. At Virgo, ad fornices Circi Agonalis, ubi aedes illi nunc dicata conſpicitur, non digna moles tanto certamine, & arena, (licet ad lupanarias Suburranas Caelio in monte ſcortis olim conſtitutus eſset locus) tracta, Dei Angelum paratum inuenit, qui terribili eam ſplendore circumdaret, obtuſa intuentium acie, & flammae in morem emicante pariete, profuſa demiſse ad preces albentem caelitus demiſsum ſibi ueſtitũ membris adaptat, nudaque operit, ſingularibus pro ſummo beneficio actis ſpõſo gratiis. is ueſtitus adeo iuſtam Virginis ſtaturã occupabat, ut ad id data opera omnino factus crederetur: tantusq. emicabat cãdor, ut haud caeleſte dubitaretur id opus eſse. nefarius ille locus Virginis honeſtatus adſpectu mutarat faciem, & uſum: ſacellum, non lupanar, iam uideri. rigabatur Virginis lacrymis pro aduerſariis effuſis, qui ſcortantium luxuria, & affluentia uoluptatum inundarat: piiſsimas uoces excipere, qui meretriciã procacitatem exhauſerat: ſacrata Virgine, ſummae caſtitatis, ac puritatis honeſtari, qui nonniſi nudata laſciuientium membra uiderat. At Praefecti filius, cuius gratia Virgo in iudicium trahebatur, uehementer afflictus, anxiusque, uotis ſuis incaſſum effuſis, erectus in ſpem uictoriae, uel in inuitae triumphãdi Virginis amplexibus, ſtuproque, decurrerat ad locum, ſuccinctus ſolita audaciũ, atque in ganeis exercitatorum cohorte elatus, tripudiãs, & ſcomma iactans, praemittit tamen ex ſodalibus nonnullos delectos, ſeu ut Virgini acriorem faceſſeret contumeliam, ex multorum oſculis, amplexibusque, ſeu ut repulſam ulciſceretur, aut occultiori aliquo conſilio tegeret prurientem libidinem praetextu humanitatis. ſodales, incitati ſtimulis dicentis, ſuopte ſimul ingenio, &

longa

longa exercitatione deiecti in uenerem, tantaque in Virginis pulchritudine impotenter exardeſcentes, ferociter, impudenterque irrupere in cellulam, eluſa maiorū continentia, ac ueluti ferrei ſaeculi duritie non mediocriter improbata. Sed intrantibus obiectus cum terrore ſplendor, refrigerata uenere, contuſisque ſpiritibus: extemplo trepidis pectoribus relatus extra limina pes, demiſſo etiam ore cū admiratione. Verū Praefecti filius, atrocius in furorem, & libidinem ruens, irridere ſodalium metū: fractas uires, languidos animos, & torpida pectora damnare: non tentatum ob ignauiam proelium, non concuſſum puellae uallum, non praelibatam Virginitatem: ſed non eo dignos praerogatiuae fauore; non tam rara, excellentiq. pulchritudine: fato ſibi eam portendi palmam expugnatae Virginis: haud tantam ſibi ineſſe molitiem, aut puerilem ſpiritum: pollere audacia, ualere uiribus: nō inſuetum talibus bacchari, nec reformidaturum (quae adorauerat) toruam oculorum aciem, & turbata ora, aut iniiciundas pectori manus: exciperent modo ipſi ignaui, imbellesque, & non digna ſoboles Romana eiulantis Virginis uoces, pulſataque anhelitu pectora, uiſuri inſuper raptae, protritaeque trophaea uirginitatis: decorasque tanti faſtus, tantaeque maieſtatis exſuuias iuueniliter, tumideque iactabat: mox, agētibus furiis, ingreditur ad Virginem, nixis demiſſe genibus apprecantem: & haud quaquam ſcintillanti luce conterritus, ipſiuſque Virginis facie, Solis aemulante fulgorem, audaciter ad Agnetem, nec data ſalute, amplexandam, quaſi Laidem, aut Floram, Gentiam, aut unam ex uulgaribus ſcortis, feſtinanter accurrit, cum ſubito, non dimota Virgine loco, & haud illa tacta, ueluti ictus fulmine, praecluſis faucibus, miſerabiliter alliſus humo, exanimis concidit. longa interim tracta mora, ſolita ad obſidendas mulierum ianuas, inuigilandumque ſtupro, ſodalium caterua, exi-

ſtumans

*mollicien

ſtimans iuuenem Virginis eſſe in amplexibus, frui tranquillitate lucis, amoriſque, praeteritas aerūnas, ignemque largiſſime crebra inter oſcula, interque lacrymulas excuſatae audaciae, & rigoris, ac petitae ueniae ſolantem, incuſare ſeipſam, quod a priſtina impudentia in optatiſſima occaſione turpiter, pauideque degeneraſſet. tortis etiam ſuſpicione, atque inuidia animis, cum unus, iuueni longa amicitia, paribuſque moribus illi carior, gratulaturus audaciae, atque illecebris cellulam intrat: ſed, exanimem conſpicatus iuuenem, ſuffuſam pallore faciem, terribileſque intuentibus oculos, & rigentia dirum in modum membra, turgida labia, ſpumaque oppleta, pietate, ac dolore ſaucius, inclamat, Accurrite, Romani, pientiſſima gens, accurrite: iacet exſtinctus flos Romanae pubis. impudiciſſima meretrix in alterius tripudiat occaſu. haec praemia feralibus ex Chriſtianis ſacris Roma refert? en, antequam iterum patria cremetur, cinereiſque ualletur aggeribus, mactate nocentem, uertite in auctorem ſcelus. Statim ad hanc uocem ingens exorta perturbatio, metus, rabies, & admiratio: incertae uoces effundi, fremitus, & dirae exaudiri: pars noxiam rapi ad caedē, & unco in Gemonias trahi clamitare, pars innocentem credere, & propulſatam iniuriam iuſto deorum iudicio, non illatam: pudicitiam uel in ſacrilega, patriorumque contemptrice numinum caelo caram: infandam poenam, & degenerantem a maiorum caſtimonia nimis crudelem ſuperis uiſam, & ideo uerſam in auctorem: haud tantum habere uirium magica carmina diſſerere. Sed aduentu Praefecti omnia ſubito mutata. decurrebat ille, audita filij morte, non praeeuntibus lictoribus, non praelatis faſcibus, non purpuratus, ſed exſangui facie, tunicatus, oppletuſque lacrymis, inter amorem filij, & deſiderium, interque uindictae cupidinem. longus quoque comitum ordo, & ipſe lugubris, cū

multo

multo ſqualore. excitis etiam lacrymis ad oſtentationem, maeſtos praeſeferre uultus, oculoſque, ac ſupplices manus tendere ad populum, Iouem, Martem, Quirinum, indigeteſque Deos obteſtantium. Praefectus, ubi ad exanime cadauer adſtitit cum amicis; En, inclamans, diriſſima feminarum, Meduſa peior, & nocentior, iuſta iam dolori ſoluiſti, magicique ui murmuris per funera meorum impudicitiae parentaſti? Haec ſaepius ingeminans, oſculari filium, & abluere faciem lacrymis, & fouere artus: deinde, plorans, parcenſque haud gemitibus, rimatur ab Agnete cauſſas interitus, & originem. Cui pia Virgo: En, qualem ſibi filius optarat tuus, ſortitus eſt exitum. militabat inferorum Principi: perauide illius imperata compleuit, & dignam meritis mercedem tulit: ſtratus ſuo malo, ſua libidine iacet. aliorumprimo in occurſu cecidere uires, ceſſit audacia cũ ſtupore, ideo procul ab illis pulſa cacodaemonis uis, atque poteſtas: (nemini enim cruenta illa beſtia, niſi uolenti per flagitium, & ſcelus nocere poteſt) certae quoque grates moderatori rerum ſunt actae: is mihi beatam mentem cum candidiſſima hac cyclade miſit, ut beneficio ſuo turpitudinem, & impudentiam ueſtram procul eijceret, notaretque: is florem intemeratae meae ſeruauit caſtitatis, quam nutricis ubera ſuggens illi uoueram. huius caelitus irrumpentium oculis offuſus ſplendor furentes libidine in preces adegit animos: at perfricata impudentiſſimi filii tui frons, impurus animus, & furibunda libido, nullis eſt refrenata miraculis, nullis abſterrita oſtentis: nec me Virginem ciuem ſuam, clariſſimis ortam parentibus, nec inurbane, incurioſeque educatam exiſtimauit, ſed inter ſtridiorem irarum, illecebras libidinum, intolerandaeque fremitum audaciae, ruit in immane nefas, exarſitque inaudito facinore, & tamquam bellua, acerrimis morſibus, intolerabili impetu, uehementiſſimaque rabie, ac

bie, ac ſummo furore, grauiſſimoque incurſu, & ferita-
tem, & libidinem exaſperauit, inflammauitque ſuam:
ideoque regnantis fulmine ſtratus, Veneri ſuae infelici
libauit occaſu. Tunc Praefectus, ſeu temeritatem ſuam
agnoſcens, indigneque in Virginem peccatum innoxiam
credens, ſeu neceſſitate adactus, traductus etiā in ſpem,
ſanctitate Virginis, recuperandi filij, uerſus ad Agnetē:
Ex hoc intelligam, haudquaquam maleficio tuo filium
occidiſſe meum, ſi in id Angelum precibus attraxeris, ut
ſoſpitem, ualentemque mihi illum reddat. quod aſſecu-
tus, haud incerte omni te ſceleris ſuſpicione liberabo. Et
puella: Quamquā non iſta ritus recipient ueſtri, ac pecto-
ris anguſtiae, nec de nobis benemerita umquam uolun-
tas, tamen, ut cunctis ſummi pateſcat gloria, numenque
Dei, haud grauate tuas in preces deſcendam. Vos hinc
igitur abſcedite omnes, ut ſolitas, dignaſque Deo per-
feram uoces, & uota. Abeuntibus omnibus, Agnes, ut
erat mitiſſimi ingenij, & femineo nequaquam more ul-
toris, praeſertim tantis laceſſita contumeliis, animo ue-
re Chriſtiana, deuolutis iam ad preces aduerſariis, hoc
in triumpho ponens, uincere officiis, & pietate, genibus
ſolum premens, demiſſiſſime, & multa cum religione, ac
lacrymis, Chriſtum pro luce, auraq. exſtincti iuuenis im-
partiunda, afflandaq. iterum membris apprecatur. Haud
difficulter exceptae preces: adimpleta ſtatim petitio: miſ-
ſus e caelo Angelus, puellam, pie flentem, conſolatur,
erigit, oſtenditque Chriſti peramplum erga ipſam fauo-
rem: iubet laetanti animo eſſe, neminem in terris exſi-
ſtentem Chriſto cariorem Agnete praefatus: mox iacen-
tem aura, & uita donat. Tunc, Virgine ouante, Roma-
nus, exſtincta penitus, qua antea impotentiſſime, nefa-
rieq. deflagrarat, libidine, demiſſo uultu, humilis, ac pu-
dibundus, Virgini gratiis actis, deprecatus iniuriam, &
audaciam, foras prorumpit, uociferans, inania eſſe deo-

rum ſimulacra, taeterrima ſacra, inanes cultus, & funeſta tura, omnia profana, & obſcena, extorum, fibrarumque ridendam inſpectionem: his nonniſi ſuperum conciri iras, & luem, ac fatum in pectora uiuentium rapi: expertum ſe eſſe poenas, expertum immania ſupplicia: omnes deos, & Romana numina nihil aliud eſſe, niſi furias, & ſcelus, ſecū arſiſſe, ſecum uolutata per ignes, & gelu, acerbiſſimosque cruciatus, multorumque uidiſſe amicorum, gentilium, atque affinium ſpiritus: unum reperiri Chriſtianorum Deum, perennem, ſempiternum, ac beatiſſimum. Qua re audita populus obſtupeſcere, alter alterius ora cōtueri, quati ancipitibus, uarias trahi in partes; hiſcere, muſſitare. Hoc animorum motu auguribus, ſacrificulo, dialibus, aedituis, flaminibusque nuntiato, tantus ſtupor, tantaque ſuperſtitioſos ſubiit animos ulciſcendi libido, ut uniuerſi ad locum decurrerint, conclamantes, haud incertis ſignis iram portendi deorum: non per ambages ſupplicia cani uētura: egere expiatione populi Romani nomen: eſſe iam profanata uetuſtiſſima ſacra, caelo accita, caeloque auctore inſtituta: caerimonias Quirini, Numaeque, unius conciliati ſideribus, alterius deorum congreſſu uerendi, temeratas nefario unius ſaltatricis ſcelere, impiiſſimoq. ſacrilegio: affuſa caelo ancilia, tripudia ſolliſtima, haruſpicinam, Cerealia, lectiſternia, Solitaurilia, Lupercalia, Parilia, Saliorum inſtituta, ac Saturnalia, Quinquatria, augurale ius, diſciplinamque, & ipſa Quirinalia ſpreta, quae maiores tanta religione, uenerationeq. in diriſſimorum diſcriminibus bellorum conſtituerant, unde illis immortale decus, nomenque cum propagatione imperij ad cōfinia terrarum partum, nunc in anilem, contemptamque ſectam, magicis artibus famoſam, tam turpiter, nefarieque a ueris, patriisque numinibus deſciſci: uexandam, affligendam, diſcruciandam, trucidandam, perpetuisq. inferorum ſup-

 pliciis

pliciis deuouendam quam protinus magam, eiusq. cruore parentandum offenſis diis, placandosq. maiorum manes. Quibus uocibus inflammata plebs, prona in crudelitatem, inconditis paſſim clamoribus perſtrepere, uociferari, fremere, minitari, expoſcere ad necem Virginem, nunc Medeam, nunc Circen, immutatis hominum mentibus, compellans. alta preſsit cura animum Praefecti: eximi fauore ſuo diſcrimine Agnetem non poſſe: acceptaeque par referri gratiae. ueritus tamen Augurale iudicium, & calumniam Pontificum, in ſuperſtitioſiſsima Ciuitate, relicta concione, triſtis abſceſsit, in Aſpaſium Vicarium reiecta re. Hic, ſubdoli, ac turbidi ingenij, mirae artis, addictiſsimus patriis caerimoniis, & ob id noſtris infeſtiſsimus, popularem auram capturus, ſatisfacturusque flaminum precibus, dictisque, magnum illico accendi rogum, puellamq. in eum coniici iubet. Laetabunda, & haud trepide ingrediente Virgine, bifariam ſeceſſere flammae, cum non exigua ſpectantium clade. Vnde acerbior uulgi ira, clamorq. maior, ac terribilior, diſcrepantibus uocibus, miſtisque ſtridoribus. diſcurſare circa plebes, iactare ligna a longe, non audere cominus accedere, ac maledictis, uocibusque laceſſere. nobilitas ad tãtam pulchritudinem, ac tenellam aetatem miſereſcere clariſsimae Virginis, incitari religione deorum: nemo palã tueri, & pauci in occulto damnare. At Agnes, extentis per flammas palmis, ita, caelum intuens, fatur: Omnipotens, adorande, colende, tremende pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, tuum aeternis nomen cantibus excipio, quia per unigenitum Filium tuum fruſtrata ſum impiorum manus, & illecebras, ac fomenta libidinis immaculato pede calcaui. ecce nunc, leniter flante aura, nefariae, diraeque faces exſtinguuntur; earumque globi, undaeque in ſceleris euibrantur miniſtros: ipſi diro mactantur incendio. attollo te, pater praedicãde, quan-

do intactam, incombuſtamque per flammarum ardorem ad te peruenire ſinis. ecce, quod credidi, oculis haurio: quod ſperaui, teneo: quod exoptaui, complector: te labiis, animoque confiteor: te totis uiſceribus expeto. En ad te uado, uerum, uiuumque Deum, qui cum Domino noſtro Ieſu Chriſto, Filio tuo, almoque Spiritu, uiuis, & regnas aeua in ſempiterna. Vix completa oratione, ignis amiſſo ardore frigeſcit, penitusque emoritur. Quare animaduerſa, uulgus magis, magisque cruciari, & in Virginem fremere, & prope cunctanti maledicere Aſpaſio, quod, trahendo morã, ſineret tam impie illudi diis, cum Chriſtiani nominis gloria. Quamobrem Aſpaſius, impatiens clamorum, & ipſe in caedem, & diritatem pronus, iugulum mucrone transfigi, & ſic mactari uictricem iubet. Sauciata Agnes ſeſe effundente cruore, magnanime, honeſtiſsimeq. (ut uirgini, & Romanae par erat) corruit XII. Kal. Februarij, tumulaturque a parentibus ad uiam Nomentanam, haud longe a moenibus: alia inſuper eundem ad locum X. Kal. eiuſdem menſis mactata uictima Emerentiana, ipſius Virginis collactanea; quae, etſi nondum lota baptiſmate, acri tamen Chriſti ſuccenſa amore, auidaque caeleſtis laureae, dum inter gemitus, lacrymasque, ac defunctae deſiderium orat ad tumulum, damnatque magnanima uoce immane in Virginem facinus, patrios exſecrata Deos, funeſtosque cultus, & dira Auguſtorum ſancita, a concitata multitudine lapidibus obruitur, collocaturque ab Agnetis parentibus Virginis ad latus, ne, quas uiuas ſingularis deuinxerat amor, buſta diſiungerent. At Agnes, inter gaudia ſui, caeleſtisq. triumphos aulae, parentũ haudquaquam lacrymas, gemitusque oblita, quorũ pectora occaſu ſuo, ſummo, acerbiſsimoque dolore transfoſſa fuiſſe intelligebat, nocte quadam intempeſta his ad tumulum excubantibus, flentibusque, inter ſplendidiſsimas incedens acies puellarũ,

lectamque ſodalium militiam, ipſa dumtaxat extra ordinem, ceteris certo in loco conſiſtentibus, progreſſa, ſeſe genitoribus exhibuit, oſtenditque, ſolando aegros, attollendoque animos: nam luce ſe circumfuſam aeterna, aeternaque fruentem aura, cum his (quas cernerent) dixit: maerorem, quem ex obitu pertulerant ſuo, miſſum facerent: dedecere luctum illum ſummam, in qua uiuebat, felicitatem. Non multo poſt tempore nō ignobilis aedes in honorem Agnetis ad eius mauſolaeum conſtructa eſt, quattuordecim nixa columnis, totidē paruarum alio ordine ſuperſtantium: ſed duae ex alabaſtrite maximae effulgebant, uarij, ac diſtincti marmoris lithoſtrato nobilis, ualuisq. aeneis, quas modo in ſimulacra Angelorū conflatas in Sixtino ſacello ad Praeſepe conſpicimus in Exquiliis, quod Sixtus V. erexit operū magnificentia antiquitati paene par, celeritate non minor: ut in Annalibus noſtris fuſe ſcripſimus. Agneti aedem, ac memoriam Conſtantinus Magnus, ſaeculorum omnium princeps, & Romanae Eccleſiae amplificator eximius, exſtruxit, rogatu Conſtantiae filiae, nobiliſſimae Virginis, quae, inſanabili ulcere cōuulnerata, in eo faſtigio maieſtatis, & gloriae uehementiſsime uexata, nondum Chriſtiana, cū ad Beatiſsimae Agnetis ſepulcrum acceſsiſſet, obdormiſcens, Agnetis uocem audire ſibi uiſa, iubentis agere conſtanter, Chriſtique capeſſere religionem; nec multo poſt, cū, depulſa uulnerum foeditate, deformitateque conualuiſſet, Chriſtianis expiata undis, cōcepto caſtitatis uoto, in eandem opinionem, & cupidinē impulſis Attica, Arthemiaque Gallicani nobiliſsimi bello Ducis, filiabus, (cui iam ipſa uirgo, inuita licet, a patre in praemium ſtratae barbariae, pacatorumq. limitum fuerat deſtinata in coniugem) perſancte uixit, non ingrata Agneti, cuius uitā eſt imitata, pieq. nomen uenerata, relicto Aeliae Pulcheriae Auguſtae, Arcadij, Eudoxaeque filiae exemplo incredibilis

dibilis

dibilis caſtitatis, ſummae religionis, rarae ſapientiae, auguſtiſsimi pectoris, liberalitatis egregiae, praeſtantiſsimi ingenij, excellentiſsimae uirtutis, caeleſtisq. uirgini ſanctitatis, quae, Conſtantiae generis fulgore par, faſtigio opum maior, regundorumque artibus populorum, gloriaque praecellentior, Agnetem praecipuam inter caelites patronam ſibi adoptauit, reliquiarum parte nobilitato Byzantio, piis cantibus haud raro Propõtide, Boſphoroque reſpondentibus, ipſisque Auguſtis cum flore aulae demiſsiſsime, religioſiſsimeque, in magnae, inuictaeque honorem Agnetis, pſallentibus. Olim ad eius tumulum ſacratarum Virginum coenobium conſtructum fuit, inſignis fama ſanctitatis, monaſterio quoque S. Laurentij in Fonte in Suburra illius iuribus attributo, ordinis S. Benedicti. ceterum, Sixto IV. iura humano generi dante, locus ille incoli a Virginibus deſiit, uel grauitate caeli, uel quia indecorum, atque intutum uidebatur, aucta hominum licentia, inter armorum turbines, externaque bella, procul frequentibus locis, ſacratas habitare, & ipſas a priſtina ſanctimonia degeneres. Sub S. Agnetis patrocinio, ſigniſque, coetus ille Virginum diu militauit, & Agnetis poſtea nomine extabuit, nouiſsimae rectricis, locoque praepoſitae: tranſlato primum dominio ad Fratres S. Ambroſij ad Nemus, extra muros Mediolanenſes, deinde, ex auctoritate Innocentij IIX, ad Canonicos Regulares, ex norma S. Auguſtini.

S. LVCIA X.

Nter Romani nominis decus Agnetem, & Alexandrinorum faſtigium, ſidusq. Catharinam, fulgebit Syracuſarum lumen, atque ornamentum Lucia, maior illis gloria, ac nomen, quam tot Poenorum exercitus, & duae florentiſſimae, atque ornatiſſimae Athenienſium claſſes profligatae, ſimulque ingentes illae terra, marique opes, quibus Inſulae imperitarunt, ac iacto uallo Carthaginis muros ambiere, & perſaepe ipſae ſeruientes, aliis libertatis lucem importarunt, fruſtra gentilium teſtimonio, famaque attollente Archimedem, aequantem naturae molimina, & ſideribus colludentem. Naſcitur Lucia Syracuſis, praeter memorabilem loci naturam, ac pulchritudinem Arethuſae fonte inſignibus: quae ſe ad Ortygiam inſulam amantibus aquis laetabunda commiſcet Poetarum fabulis decantata, utroque parente nobiliſsima. Sed mater, nomine Eutychia, ob Chriſtianam pietatem ſcriptoribus nota; feliciori omine ad poſteros tranſiit. Virgo, orbata patre, genitricis religione ſacro lauacro expiatur, traditurque educanda nutrici, praeſtanti feminae pietate. Vt primum per aetatem licuit, Chriſto uirginitatem ſacrauit, & ceteras addidit uoto uirtutes, miram religionem, morum comitatem, & modeſtiam, incredibilem animi ſummiſsionem: non fractus illi inceſſus, non munditiarũ

cultus: negleċta coma, parcus obtutus, caſtiſsimi mores inerant, ſic, ut non in gremio uiduae educata, aut uiduae filia, (cum nimia interdum caritate, atque indulgentia uiduarum filiae abuſae in obſcena, & turpia prolabuntur) uideretur. Sed Eutychia, ex affinium conſilio, inuitam cuidam adoleſcentulo uirginem ſpondet, acriter accenſa poſteritatis deſiderio. Interim ipſa non dubio mortis periculo urgeri: quam ita affeċtam cernens Lucia, deſperatis Medicorum artibus, naturaeque remediis, rata expoſcendam a ſuperis opem, rogat obnixe matrem, ut Catanam contendat, obuolutaque Agathae ſepulcro ſalutem expoſcat, non dubie a Deo aſſecutura Agathae meritis, precibusque. Enimuero Agathae nomen late apud gentes inclaruerat, celebrabaturque, praecipue in Sicilia, tanta hominum opinione, ut frequentibus agminibus decurreretur ad tumulũ. quin quaginta millibus paſſuũ Syracuſae a Catana diſtant, locatae in promontorio Lylibaei, uaſtatis iam (quae inter ipſas, & Catanam interiacebant) Vrbibus, Megara, & Naxo. Itaque, natae conſilio approbato, accingit ſe itineri mater; duċtaque ſecum filia, cum haud contemnendo comitatu, Catanam intrauit. At Luciam, Agathae aedem ingreſſam, recordatione fortitudinis, rerumq. geſtarum, ingens inuaſit ardor, cũ martyrij cupidine; mox, contemplata Virginis corpus, crudas mammas, effulgentemque manum, uberrime fleuit. At, cum ſacra fierent, recitato Euangelio, quando Marthae, taċtu ueſtis extremae, a Chriſto eſt reſtituta ualetudo, uerſa ad matrem Lucia, num ea crederet, ſperaretque eundem a Deo fauorem Agathae precibus, interrogat: quam cum confidentem reperiſſet, peraċto ſacrificio, & abſcedentibus ceteris, cum genitrice, ad latus buſti procubuit uenerabunda, feruensque ingenti erga Chriſtum, & Agatham amore. Cum intẽtius oraret, correpta ſomno, uidit Agatham,

tham, incredibili micantem lumine, ueſteque undique irradiante pyropis circumdatam, inter beatarum mentium turmas incedentem, dicentemque ſibi: Quid a me petis, Lucia ſoror, quod ipſa genitrici continuo potes impetrare? fides illi tua opitulata eſt: ecce recepit ualetudinem: tuq. iucundum iam Deo in corpore tuo tabernaculum praeparaſti. ſicut meo nomine Catana attollitur, ita tuo Syracuſae fulgebunt. His dictis euanuit. Excitata a ſomno Lucia, laetam, & uegetem matrem amplexatur; interque gratiarum actiones, & tumuli oſcula, atque hilaritatem, rogat, obteſtaturque per Deum, & Agathae nomen, ne ſibi faces, & thalamum ſubiiceret, ſimulque fortunas ad pauperum inopiam, & calamitatem mitigandam attribueret. his ſe non ingratam caeleſti ſponſo oſtentaturã: dediſſe iam, cum thalamum inuitae ſubſterneret, in quo lecta uirginitate obſcena paſſura fuiſſet cum aeternis aerumnis: iiſdem ſe modo in auras eueheret, nactura generum nullis egentem rebus, aſſerens. Sed Eutychia, commemoratis omnium diuitiarum ſupplementis, laudata quoque induſtria, ex auctis ab occaſu uiri fortunis, filiae poſtulata in extrema uitae reiicere, feminea, & uiduali auaritia irretita. Cum riſu excepta a filia materna donatio, illuſae ſordes: nihil in funere laeti, omnia triſtia, funeſtam donationem, nec adeo ſuperis caram, cum poſt ſe trahi non poſsit: ſpontanea eos ouare largitate, nec redundantiae liberalitatem ineſſe, & dona ab inuitis extorta plena inuidiae, & uacua mercede, ac noſci in egeſtate magnificentiam, & praeſertim erga non petentem, oſtentat. His Eutychia concuſſa, filiae cuncta permittit: quae reuerſa Syracuſas ſtatim muliebrem mundum, & uetera gentiliũ ornamenta, uendidit, effuſa in egenos pecunia. Qua re ſponſus animaduerſa, quaerit a Luciae nutrice, quid cauſſae ſit, ut dotalia ornamenta, tantaque ſupellex adeo improuide, &

feſtinato diſtraherentur. Sed nutrix, ingenio ſagaci, & pio, ait, non ideo diſtrahi, ut iacturam patiantur, ſed ut commodiori in loco auctis redditibus cum ampliori familiae dignitate locentur. Qua deceptus ambage uerborum adoleſcens, deſiit amplius de uenditione perquirere, ultro ſponſae prudentiam admiratus, cum breui animaduerſa ſtultitia, cognoſcit omnia abſumpta, ac diſſipata, ſimul ſponſam Chriſto dediſſe nomen. crudeliter furens, ſponſam perduellionis ream ad Paſchaſium defert: uiolatam dexteram, ſacros ignes,& nuptialia pacta, cum ludibrio Caeſarum, deorumq. eluſa, exponit. Tum Paſchaſius Praetor ſiſtendam ad tribunal uirginem curauit. Quam contemplatus, attonitusque diu perſiluit, feram hominis rabiẽ praecellenti ſpecie mulcente. Mox, alto petito principio,maiorum Luciae attollit imagines, numeratis uallaribus, muralibusque coronis: deinde cũ irriſu Chriſtianae religionis eleuat decus: poſtremo Iouẽ uenerari iubet, ac diualibus ſatisfacere imperatis. Sed Lucia reſpondit, ſacra iam ab ſe facta, & placuiſſe ſuperis: occurſum pupillorum egeſtati: ſubuentum uiduarum calamitatibus,& pudori uirginum: iam nihil ſibi relictum, niſi corpus, & animã: utrumque ſtare pro Chriſto. Tunc Praetor, inter cachinnum, & faſtum, Nobis, inquit, iſta deſine memorare, talia per Chriſtianorũ ora decantanda: dedecent Romanum, Auguſtorum numini, placitiſque deorum ſeruientem: nec facile Martiae genti a diis trahenti ortum eſt errare. Tunc Lucia: Quod in laude ponis, Paſchaſi, quodque inter egregia refers, ne uitio mihi uertas: Auguſtorum ipſe nõ tranſgrederis imperata: nec ego Chriſti ſancita temerabo: illi pie obedio: ſi quid tibi in uotis eſt, imple: nec ipſa me deſerã: tu tuo utere conſilio, ipſa meo,& de lapſu quiſque uiderit: poena errantis, paenitentia,& ſupplicium, Tum Paſchaſius, grauiter indignatus, exclamat: Quae tam pro-

cax

cax lingua, & impudicum os ante Caeſarum imagines in ipſo tribunali? Ex impudentia uerborum non difficulter agnoſcitur loquentis animus, & arcanũ: effudiſti in coemendis libidinibus, atque in ſatianda amantium cupidine, patrimonium, dum te fatigauere oſculis, atque inquinauere amplexibus: & nunc ipſa minaris, & tam alta ſpiras, nos fortaſſe territura? Iactantia uerborum, atque oculorum flagrantia, amantium animi fodiuntur. non incertus in flauo crine Veneris triumphus: nec dubij, mites ue in nigra oculorum acie ictus. Et Virgo: Fortunae meae certum ſortitae ſunt locum, non Caeſarei uim fiſci, non uiolentas latronũ manus pauentes. de pudicitia iam ſatis patet: ſic quippe uixi, ut nemo non modo de ſcelere, ſed ne de ſuſpicione (quae iuuentam, & pulchritudinem comitatur) gloriari queat. clara mihi ex uirginitate gloria, & certa quoque palma manebit. Et Paſchaſius, ueluti ſcenam agens, & cum ludibrio caput iactans, Enumera, reſpondet, amatores, qui polluere animum, decerpſere Virginitatem, qui preſſere pectora, lacertisq. colla cinxere. cuius acrior, ardentiorque in uenere furor, aut cuius prima roboris, ac lateris gloria? Effare: turpiter feciſti, at non turpiter dixeris. Etenim, qui, quae ue pudoris limen tranſſcenderit, fruſtra poſtea de uerecundia laborat. Tunc Lucia, rubentibus genis, & decentiſſimo uultu, audaciae Praetoris occurrẽs, Nefario, inquit, uoto turpem narrationẽ anhelas: at ipſa in hoc quoque tibi ſatisfaciam. Vos eſtis caſtitatis depopulatores: uos ueritatis fores ferro, & facibus exſcinditis: uos ſtupris inuigilatis, torique fidem conuellitis: uos piorum mentem feralibus ſacris uexatis: cui non faceſſitis iniuriam, uel cuius mentem nõ ſaeuiſsime oppugnatis, rapinis inhiantes, bacchanteſque innocentium ſanguine? ueſtris piaculis, ueſtriſque diris ſuperum iras inflammatis; mortalem tendentem ad ſuperos, pari ſcelere in ima detrahitis.

hitis. non degener a matre proles, non abſimilis morum. Sed quid a Venere ſancti, aut pudici? quam uosipſi, haerentem Martis complexibus, rete cum adultero captam, expoſitamque nudam Concilio deorum ſcribitis? En, nõ ne in poſteritate iidem obſceni ſenſus, & turpia facta cernũtur? Genitricis ueſtrae, almaeque, ut dicitis, deae, dehoneſtamenta improbatis, & tamen pocula illi libatis, & accenditis in ara ignes: uolentes mactari nulla proſequitur miſeratio: excuſandus in ignorantia error, in conſcio plectitur poenis, animi peruerſitate, non caſu peccante. Me tu impudicam nuncupas, licet gentilium imagines adeo ſint illuſtres, ut me non patiantur in obſcuro peccare: me ut ſcortum compellas, nec animaduertis id in me damnare, quod tu in portentis deorum ſcelerate adoras, iniquus nõ dubie cenſor. Habes igitur a me uiolatores caſtitatis, & nefarios ſtupratores, non iam in occulto, ſed in luce obuerſantes. ſi ſcelerati, ſi in culpa deprehenſi, perdendi ſunt: ſin minus, ipſa innocens, & pudica cum ignominia tui, idolorumque. Tunc Paſchaſius minitabundus, In concione, inquit, mima inſultat: ſed ceſſabunt uerba, dum deuentum erit ad uerbera. Et Lucia, Dei uerba nullo pacto profligari poſſe oſtendit. Et Paſchaſius: Num tu Deus es, ut uerba tua in irritum nõ fluant? Et Lucia: Nequaquam uim, numenque impleo Dei, ceterũ illius ueneratrix: nec memoria excidit mea,
„ quod ipſe diſcipulis dixit, Dum ſteteritis ante Reges, &
„ Praeſides, nolite cogitare, quo modo, aut quid loqua-
„ mini: dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini.
„ non enim uos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris ue-
„ ſtri, qui loquitur in uobis. Tunc Paſchaſius: Sacra ergo tu impleris aura? Et Lucia: En, Paſchaſi, alloquor ego te femina uirum, rea ante tribunal ſtatuta, & armatum Praetorem, inter infeſta ſigna minantem, puella: ſed, ne indigneris: nam Deus ipſe, candor aeternae pulchritu-

dinis,

dinis, qui orbem uniuerſum condidit uerbo, ſuſtinet digito, moderatur nutu, fecundat adſpectu, cuius tu fruſtra nomen demoliri conaris, tecum loquitur in puella. miraris? Noli, obſecro, tecum ipſe uario cogitationum aeſtu iactare; &, quod ſuperni ſpiritus infirma roborantis, & fortia proſternentis uirtute fit, humanis artibus, ingenio ue adſcribere. Eloquar clarius, Hexapylo, Achradina, Euryaloque audientibus: ipſe, cuius hic cauſſa agitur, dum impij ſcelerum architecti uitam, & pietatem cariorem ſpiritu extorquere nituntur mihi, me tuetur, me firmat, obiectu ſui me protegit: denique in me ipſe tacitus ſeſe inſinuans, totamque peruadens, tali me ſibi nexu, uinculoque coniungit, ut, dum tu Deum uiuum petis per probra ſacrilega, & infanda ſcelera, agar ego per tormenta diuerſa. dum ipſa eius cauſſam cõtra te aſſero, uindicoque, loquatur ipſe. Habeo ego mortale hoc ſpolium, quod utinam in illius gloriam dilaceretur a te, & diſcerpatur in fruſta: habet ipſe contra ad piarũ mentium ulciſcendas iniurias immenſam poteſtatem: habet ad retundendum animorum ueſtrorum faſtum ſapientiã, qua rationes cõuellat, captiones irrideat, arguta ſophiſmata diruat, argumenta diſſoluat. ex hoc corpore, & tali ſpiritu, ex hac imbecillitate, & tanta uirtute unũ quid arte diuina coaleſcit, & ſurgit, quod tu nunc exerces, & agitas. Admirabilis plane, ut ita dicam, coniunctio, atque ſocietas: me interrogas, reſpondet Deus, Deũ perquiris, lacerer ego: nimirum ille fidem nobis ſuã adſtrinxit, uerboque illo firmauit, quo rerum uniuerſitatem excitauit ex nihilo, & ex confuſa illa, & uaſta mole ſecreuit, fore, ut corpora caſtam, & incorruptam uitam uiuentium templum eſſent Spiritus Sancti, ubi ipſe iucundiſſime uerſaretur, quodque totum infuſus per ſingula mẽbra permearet, ac regeret. quid tu nunc, inepte Praetor, importune pius obiicis impietatem quaſi altius hu-

mano

mano faſtigio ſuſtulerim, caputque profanum in ipſa penetralia diuini numinis inuexerim, unde aeternae mentis ſpiritum impudenti ore deductũ impudentiori etiam affirmem ſuam in me ſedem, ſoliumque collocaſſe? Sed, quid apud illum de pudore diſputo, qui libidinem ſibi ſuam pro Deo finxit? An credet uirgineum pectus, animosque caeleſti numine afflari, cieri diuino ſpiritu, ſedem eſſe ſapiẽtiae, lucis inacceſſae domicilium, qui, impuritatis amator, inter terrorem uirgarum, & licentiam armorum, aeſtuque libidinis abreptus, nihil habet cum puritate, pietateque commune? Age igitur, euibra ſecurim, exerce furorem tuum: crucia, torque, lacera, proſcinde martyrem. templum Dei deſtruere paras, & incendere. dum nocere ſtudes, beneficium praeſtabis; &, qui ratione non poteras, fluitans in luto luxuriae, & undis irarum, experimento fateberis, uel diis tuis inuitis, atque lugentibus, corpus uirginis ſedem, & templum eſſe Spiritus Sãcti. Tunc Paſchaſius: Iubebo te trahi in ganeas, ubi ſcortata Spiritus Sancti praeſidio, ac numine nuderis. Et Lucia: Inuita anima, & pectore auerſante peccatum, labes minime contrahitur: uoluntas ſpectatur, aſſenſusque: nec, ſi tura mea manu ad aras accenderis, tuisq. libaueris diis, mihi ad dedecus, & piaculum adſcribetur: &, ſi me uiolari iuſſeris, geminabitur laurea, ad gloriam, magnitudinemq. triumphi. Et Paſchaſius: Aut capeſſenda ſunt tibi iuſſa diualia, libandumque Ioui, aut in palaeſtra Veneris turpiter exſpirandum inter ſcortantium turmas, & infames greges. Abnuente Lucia, & hominem irridente, accenſus ira Praetor mandat acciri lenones, ex humanae carnis laniena quaeſtum facientes, dum teruncij, pro ſcelus, meretriciũ corpus aeſtimatur, ne a ſanctiſſima quidẽ parte corporis repulſa libidine. laeti ad Praetorem lenones accedũt. quibus Praefectus: Abripite puellam hanc, & ganeis ueſtris conſecrate, uel

te,uel inuitam, diis amorum praeſidibus ſeruituram: tuba robuſtorum iuuenum animos ad certamen accendite: contueantur ſpectaculum Syracuſae: nemoque a foribus arceatur: illi uictoria adſcribetur, in cuius gremio & amplexu ſaltatrix animam efflauerit. Tunc lenones, accepta a Praetore facultate, Virgini cum plauſu ſe circumfundere, & uerbis, geſtuque corporis tangere pudorem, recenſere trophaea,& euictas multorũ animas inter blandimenta uoluptatum. Reiicienti Virgini dicta, nec mouenti greſſum, lenones manus iniiciunt, ui abſtracturi, cum Spiritus almus Virgini incumbens immobilem fecit inſtar montis. nituntur ui euellere ſcelerati: cedunt irae ſuperis,cedunt cupiditas,& humanae uires. undique funibus Virginem euinciunt: colla, buſtum, crura, latera, pedesque uinculorum aſperitas premit. applicatur trahentibus Praetoria cohors: iunguntur multa boum iuga, & equi: quiſque robuſtus extẽdere ad uincula dextram: inutilis iam omnium labor, fractaeque uires: nec, ſi reuixiſſet Archimedes naturae eluſor, inuentorq. machinarum, de Lucia gloriari poſſet. prius Caucaſum, aut Imauum, Alpesque manus illa moliretur, quam digito de loco Luciam propelleret. Praetor, poſt infinitos labores, conatusque, accerſiri magos, & hariolos, effuſoque circum carmine pandi ſecreta caeleſtiũ iubet. Ciuntur ex inferis manes: lemurum nomen inuocatur: totaque Plutonis regia in auxilium expoſcitur: adſpergitur lotio, & oleo puella, deductis uirga circulis, ſoloque adpreſſis notis, ſi forte ueneficia diſſoluerentur. magicum eructatur carmen, miſtum ſtridoribus. At Virgo magis magisque conſiſtere, & eleuare furentum labores, Praetorem compellans: En, Praefecte, manu iam Dei mei opes deprehendiſti, meque templum uiuentis Dei eſſe uidiſti: & adhuc inſanis? tam obtuſo animo es, ut,qu icum pugnes, non intelligas. adoleſcentulae corpore tot ui-

res,robuſtaeque manus eluduntur: & tu in ſententia oppugnandae ueritatis perſeueras? Etiamſi alia decem millia uirorum adiunxeris, labores omnes fruſtra ſuſceperis: eritque penes me uictoria cumulata triumpho. Agnoſce, imbellis, fragiles deorum tuorum uires, & illuſa terga in infantulae pugna: interroga, & ſcrutare, miſer, quid in Aemo Mars tuus agit, quid Iuppiter in Tarpeia molitur, quid Vulcanus in Aetna parat in auxilium tui, cultorumque ſolatium me ad unam expugnandam, ubi fulmina, & ſudãtia cruorẽ arma, & fatalia tela? Cede iam, Paſchaſi, fatere Chriſti potentiã, depulſa errorum nube. quid a diis ſperandum ſit tuis, calamitate tua, & dedecore didiciſti, iam ſtupentibus Syracuſis, & tota obtremente Sicilia. At Paſchaſius pallens, rubensque, circumlato truci obtutu in Virginem, ſuſpirare, minitari, ſtridere, accendi protinus circa rogum, & mole pyrae uallari iubet. Accenſis Lucia facibus non ſentire ardorem, non ueſtium combuſtionem, laeta, plaudensque amplecti flammas: Praetoremque interpellans, Breuis, inquit, hora certaminis ſupereſt: iam meta laborum & palma tangitur: ſtabo paulliſper praecincta hic flammarum globis, ad ſolatium piorum, ne in poſterum atrocitatem ſupplicij paueſcant, utque impia multorum uota inaniter cadant, ad iniuriam deorum, & Chriſti Saluatoris mei gloriam. Hoc ſermone Paſchaſius ictus, non quietem capere, non ſe ſella tenere, obuoluere corpus, iactare ceruicem, manibus, & uoce perſtrepere, atque inſanire. Cuius dolorem non amplius ferentes amici, flamma ab latere dimota, mucrone appetiere Virginis guttur. Nec tamen ſauciata Virgo loqui, & precari deſtitit: uerſaque ad circumſtantes, Eccleſiae pacem ominata, Diocletianum, & Collegam eiuraſſe imperium, ſeque tutelarem Syracuſis a Deo datam, ſicut Catanae Agatham, praefatur. Adhuc loquente puella, ex auctoritate Senatus, trahitur deuinctus ferro Pa-

ro Pa-

ro Paſchaſius, Romae peculatus accuſatus, repetundarumque, luens infandorum ſcelerum poenas. Et Luciae non prius defuere aurae,ſpiritusque, quam ſacrum uiaticum deſumpſerit. Tunc,laeta,Idibus Decẽbris ad caeleſtia proficiſcitur,memorabili ad poſteros gloria,famaque ob curandorum aegritudines,morboſque oculorum,nullo certo id auctore aſſerente, ſed certis prodigijs (quae deprecantibus feliciter obueniunt in dies) nec pietati credentium eſt deroganda fides,atque auctoritas. Sunt, qui alteri eiuſdem nominis Virgini id tribuant, quam ferunt erutis ſibi luminibus, pudorem, exſtinctis amantis igne,atque furore ex uenuſtate oculorum ſubito enatis, retinuiſſe; tamen Syracuſanae ſupplicat orbis. At Luciae,erectis in confeſſione memorijs,diu Syracuſis in patria honoratum nomen, atque reliquiae: ſed a Carthaginienſibus Piratis, Mauriſque, a Carthagine uſque ad Atlanticum Oceanum occupata Africae ora, captis, direptiſque Syracuſis,magnaque cladium mole afflicta Sicilia, Baſilius Macedo Graecorum Auguſtus, filiusque Conſtãtinus, uaria in bello uſi fortuna,uicti,uictores ue, cum deficientes in Sicilia Ciuitates grauiter ulti eſſent, depopulati reliqua ornamenta, quibus barbarorum rabies pepercerat,aut certe abſtinuerat,Luciae corpus Cõſtantinopolim tranſtulere. Acerbiſſimum id Syracuſis uiſum, magniſque lacrymis deploratum, uix ex tanto theſauro, (quo opulẽtiſſima Ciuitas gloriabatur) poſt moenia ſtrata, euerſa Praetoria, & Regias, Opidumque ipſis Syracuſis in aceruis tectorum ſepultum, calceo Virginis relicto, quem ſollemniter, religioſeque inter hymnos, & ſupplicationes quotannis incolae in publicũ educunt. Sed nec Byzantium poſt rapinã diu tanta felicitate, bonoque laetatum eſt,rebellis ſaepe a Petri Ciuitas primatu,inquies animo,& ipſo furore perturbatior, ſemperque Romano faſtigio minax,uel uſurpata arrogantiſſime ma-

ieſtate iubendi tam electa, caraque Chriſti membra non merebatur. Motis enim poſt primam noſtrorum Principum expeditionem ad ſtabiliendum Hieroſolymorũ imperium, pulſandaque barbarorum circa inuadentium arma, noſtris uiribus, cũ ſe infeſta, more ſuo, Graecia obieciſſet, impio polluta ſcelere, ſub ingratiſſimo Principe cognato cruore perfuſo, irritatis, auerſisque in ſe noſtrorũ iris, capto Byzantio, profligatisque, qui obſtiterant, attritum, ſublatumque eſt Graecanici culmen Imperij, Romanis legibus uicto populo datis. Hoc quoque poenarũ nefaſtis Graecorum ex animis, impietateque exhauſtum ad par rapaciſſimae genti referendum, renouandamque illi uerſa uice Conſtantis, Conſtantini iunioris filii, memoriam, qui, barbaricae ferociae, igniumque ſpectator, amiſſa exercitus non exigua parte, Romanam Vrbẽ, Italiamque crudeliſſime, auariſſimeque diuexarat, paucorum dierum acerbitate ducentorum quinquaginta octo annorum luſtris abolitis, queis in nos ſaeuierat barbarorum ſitis, rabiesque, inter reliquas manubias Luciae corpus ab Henrico Dandulo, clariſſimo Venetorum Imperatore, Graecanicae & ipſo teſte diritatis, anno CIↃ C XCII. Venetias deportatur. Vtinam, inuictae, felicesq. Ducum animae, caeloq. receptae, eadem religioſa pectora ueſtra ſubiſſet cogitatio aſportandi illinc quoque Conſtantini Maximi, utriuſque Theodoſij, Tiberij, Pulcheriae, Eudoxiae, reliquorumque Principum corpora. quanto enim gaudio tripudiaſſet, Italia? ac quãti pompa triumphi, gremio, lacertisque porrectis, conditorem, amplificatoremque ſuum Vaticani auguſta moles, Diuorum ueneranda ſedes excepiſſet? heu in ſeruiente ſolo, quorũ uix uniuerſus fuerat olim orbis capax, barbarorum pedibus proculcantur, obſita ſqualore, ſine ara, ſine cereo, inter abominanda ſacra, ſceleratamq. ſuperſtitionem. At Luciae corpus locatur primum in aede Beati Georgij, mox

pro-

proprio nomini fanum ad Regium canalẽ attollitur, ubi integris membris, uiuida carne, & auguſto habitu oris quaſi dormiẽtem uidimus, ueneratique ſumus. Sed Metenſium clara,potensq. in Galliis ciuitas,Leucis, Eburonibusque uicina, Auguſtae olim maieſtati annexa, nunc Franciae iuribus, ac principatui contributa, tantam Venetiis dignitatem, gloriamque haud immerito inuidet, pro certo affirmans,moenibus ſuis, caeloque Luciae corpus contineri, aſſeruarique, ex Conſtantinopolitana direptione illuc tranſmiſsum. Inſinuata Pio V. res, clariſſimo haereticae perfidiae, ac Turcici faſtus conculcatori, dum Romanum conderet Breuiariũ: ſed ſilentio tranſmiſsa, & prudenter. Haec ex auctoritate P. Roberti Bellarminij, doctiſſimi hominis.

S. CATHARINA XI.

IN obſcuris, ac difficilibus rebus quoniam non modo punctum attigiſse, ſed bene etiam dubitaſse multum eſt, quod tenuis magnarum rerum cognitio exactae cognitioni rerum cōmunium praeferri merito debeat, nemo nobis iure ſuccenſeat Catharinae uitam aggrediētibus, hoc eſt inter martyres & Virgines maximae, (quas hucuſque deſcripſimus) ſi non trita multorum ſcriptis, & antiquiſſimorum monumentis, ſed uix paucorum laboribus delibata proponamus. Quamquam enim Beatorum inter ſe merita, palmasq. conferre ſolius eſt Dei, qui corda ſcrutatur, & renes, tamen, ſi coniecturis agere licet, tantum inter ceteras martyres emicat Catharina, quantum orientia ſidera praeſtant occiduis, quantum ceteris montibus Synas inacceſsus, legifer, religione praecipuus, & exiguus magnorum cinerum tumulus. Hinc fortaſse factum eſt, ut, dum tantarum uirtutum Virginem ſilentio ueneratur antiquitas, amiſit paene poſteritas, cui & antiquorum ſilentium, & recentiorum ficta narratio fidem abrogant uera ſcribenti, quaſi non tam ueterem Catharinam deſcribere, quam nouam obtrudere uelle uideatur. tot, tantaq. igitur trophaea uictricis, aeterniq. nominis fama ita fabulis, anilibusque intermiſta narrationibus traduntur, ut legenti facile cum indignatione, &

riſu ſtomachus cieatur, dum per inſcitiam, adulationemque ſcribentium eius genus Tyriditarum faſtigio, imaginibusque annectitur, poſtque Armeniaca trophaea, & Mygdonicas laureas Romano quoque ſanguini miſcetur, maternumque per genus Conſtantini effingitur Magni neptis. nec minus fabuloſa enarrantur, quae de imperio, ſuſceptisque poſt obitum patris faſcibus, fugaque eius in Aegyptũ, ne, ſubditorum precibus coacta, (quippe quae Dianae, antequam Chriſtianis eſſet initiata ſacris, caſtitatem uouiſſet) nuberet Arſacidae. Alij tradidere, Virginis parentes Coſtium, & Alexandram inter Alexandrinos nobiliſſimos fuiſſe, magnis, uetuſtisque opibus, multisque clientelis. Sed Alexandram, praeter egregias animi, corporisque uirtutes, ſanctitatemque, Lagaetarum ſanguine clariorẽ. hinc datum fabulae nomen, locumque exiſtimamus, quando ſcriptores, Romanorum inſcij annalium, faſtorumque, Catharinam, ſeu Aecatharinam, (ſic in uetuſtis codicibus nuncupata legitur) Regis fuiſſe filiam aſſerunt, illiusque matrem Sabinellam uocant: ſcribunt etiam, genitorem dinali reſcripto exſulare apud Cyrenas iuſsum, integris tamen fortunis, reſpectu coniugis, additis exſilij cauſſis, tamquam illius fiducia iſse ad ſaga Achillẽ, laceſsiſseq. uim Romanam ſuo haudquaquam fidentem marte, nec cõmendatum maiorum ſuffragiis, ipſum e contra Coſtium fama, uotoque populorũ priſtinis Regibus aequante. Ipſa Virgo Alexandriae naſcitur. a prima aetate cum mirifica indoles in ea eluceret, cura, ſtudioque parentum clariſſimis traditur inſtruenda Oratoribus, atque Philoſophis, breuique tantum in diſciplinis profecit, tantumque ui, & altitudine excelluit ingenij, ut doctiſſimum, ac diſertiſſimum quemque ſuperaret. Erat illi oratio grauis, plena ſpirituũ, ſententiis admirabilis, miram redolens ſuauitatẽ, adeo, ut tumidus, iratusque facile flectereris, lan-

guensq.

guenſque ad capeſſendā uirtutem incitareris. Ad haec, ignara Graeci, Latini, Hebraeique ſermonis, eximia deinde memoria, id quoque inter diuina, non ceſsum hac in parte Simonidi, Cyro, aut Senecae; nullius denique inſcia facultatis, diſciplinaeque. quidquid enim illuſtres docuere Athenae, aut Canopus monſtrauit, aut Chaldaica tradidere monumenta, occultaque Magorum, egregio ipſa pectore perſtringebat. quo plura diſcere, eo ardentius in diſciplinas rapi: indignari interdum, lamentarique de fortuna, quod non ſe ad Platonis tempeſtatem, aut Ciceronis ſaecula tuliſſet, quibus tanta diſciplinarum gloria floruit. Igitur, haud ignara matre, Chriſtiana ſacra ſuſcepit, multum eluctata deorum fabulis, atque portentis. exinde acri Chriſti amore Regia pectora caluere. aucta in immenſum fruendi Chriſti cupiditas, quem ſibi ſponſum, nullis praemiſſis auſpicibus, ardentibusque facibus, ipſa dumtaxat tota exardeſcente, adſciuerat. Ergo, reiectis Poetarum fabulis, inſomnijsque philoſophorum, ſacris inſudare paginis, effuſaque in preces ingenti lacrymarum ui, Chriſti cruciatus, aerumnas, ſigna, amorem, pietatem mortalium erga genus aſſidue perlegere, & meditari, atque in ima pectoris demittere: tota mente, animoque in id incumbere, ut Chriſto ſe quam integerrimam, ac diligentiſſimam exhiberet, ſpretis multorum blanditijs, & Regulorum connubijs, depreſſiſque adulantium uocibus domeſticorum, qui aulica licentia toro alligatam heram, & hinc ſobole florentem, exoptabant. Nec multo poſt, cum exſtinctam matrem effuſe luxiſſet, Chriſtianoque more parentaſſet, familiam optimam circum ſe habere, demere quae redūdabant, caſtam uirginem dedecere luxus non ignara, effuſa in pauperes, prodigens, quas multo ſudore maiores aceruauerant, fortunas: ueſtitus illi interior ex ſerico cādido: ſic ipſi multa poſt luſtrorum curricula intactum uidimus,

dimus, ſi libet famae credere, purpura externa protegente: flaua illi coma, & decentiſſima, tactuſque leniſſimi, haud quaquam inflexa calamiſtro, aut in obeliſcum erecta: nec externus in ore color: excellens ſpecie facies, Solis non dubie ſplendoris, ac pulchritudinis aemula: oculorum tanta ſuauitas, ut nihil ſupra: frons auguſta. grata haec uulgo, nõ ſpreta ſapientibus, auguſtiora, morum ſanctitas, pudor, caſtimoniaque reddebant. Grauis ad haec inceſſus cum maieſtate, & decore: numquam uox degener, aut arrogans, neque ſcurrilis luſus, riſuſque. Hac felicior, glorioſiorque Virgine Alexandria, quam terrarum buſto Praedonis, Seſoſtreisque curribus, & XIV. Ptolemaeorum ſerie, ac CCXCVII. annorum ſexque menſium dominatu uidebitur abolita etiam Berenices, Cleopatraeque memoria. His moribus Catharina, & hoc cõcurſu uirtutum late per hominum ora uolutari, cum ingenti ſtupore, & gloria. multarum accenſa uiſundae Virginis cupiditas puellarum, & iuuenum. incaſſum ſuſcepti labores, & greſſus, tantam pulchritudinem claudente pariete, foris raro uiſam: adeo popularem auram Chriſti iam tota ſpernebat. Eodem ferme tempore, Diocletiano, & Maximiano poſt innumerabiles uictorias, clariſſimaque trophaea, poſtque immenſas Chriſtianorum ſtrages, inexhauſtamque cruoris ſitim deponentibus imperij faſces, Conſtantius, & Galerius, cui Valeria Diocletiani nupſerat filia, Auguſtalia ſuſcepere inſignia, partitoque inter ſe orbe Romano, Galerius duos ſororum filios Seuerum, & Maximinum XI. Kal. Martij, Tribuniciae poteſtatis, Caeſareaeque dignationis participes fecit, denuo in Chriſtianos renouato odio, aemulus parentum crudelitatis, Roma Seuero deſtinata, Maximino Aurora, & Euphratenſi margine conceſſis: qui, profectus in Orientem, ueluti Arſacidam, ueterem aemulum, & priſtinarum cladium luctu torpentem, nec ſine rabie aduerſus

Roma-

Romanos ſtridentem bello quaſſaturus, omnem furorem inChriſtianos uertit,omniaque caedibus funeſtauit,trux ipſe ingenio,auunculi, Auguſtorumque exemplo magis magiſque irritatus, qui, pacatam, trepidantemque nactus Seleuciam,donaque mittentem Perſam,in Aegyptũ diuertit, ut Alexandriam proximo Diocletiani bello in rebellione Achillis reuulſam prope ſedibus,& multo nudatam ciue, deformatamque ruinis, inſtauraret. datum id conditoris memoriae,ſimul ut Memnonis Regiam,Auroraeque cubile inuiſeret, adiretque Hammonium diu per ſaecula ſilens oraculum,aemulus Alexandri; aut per Cyrenas,&Paraetonium Africam ſui iuris faceret,deleretque his ex Prouincijs Chriſtianum nomen, aut cultores per ſuppliciorum diritatem ad funeſtum deorum cultum reuocaret,cum in Oriente nulla Chriſtianae pietatis feracior, aut erga Chriſtum religioſior Aegypto, Thebaideque Prouincia exſtiterit, totque Memphis, licet barbara ſuperſtitione Iſin, Oſyrim, Apim, Hammoniumque diu coluiſſet,lumina ſanctorum tulerit, ut eam poſt ſe Roma ſecundam non indignetur. At Maximinus, diriſſime in Chriſtianos ſaeuiens, ut peruenit Alexandriam,proponit edictum,minis armatum,plenumque terroris,quo uniuerſae gentes ad Paraetonium, ac Peluſiacum uergentes cornua,ad uota dijs nuncupanda, ſacrificandumque euocantur. Rurſus intumuit cruore Nilus, atris ſuis aquis,areniſque ſanguine peremptorum obturbatis,uel ipſa Mareotide miſerorum queſtibus, uocibuſque reſpondente. Fit ſacrificium ad aram Serapidis uetuſtiſſimo in templo a Seſoſtre Rege conſtructo Bryaxis artificis molitione,centum boum,Auguſtale donum, mugitibus beſtiarum obtremente Alexandria, & concuſſa Pharo. Strata Romano more lectiſternia, ſupplicatum per cruorem,& diras Ioui,Bellonaeque, patrio ritu inter Romanam ſuperſtitionem ſiſtrum pulſante indigena. Ip-

 ſe Au-

ſe Auguſtus,trabea tus,oblato ture,curuatoque genu ſupplicare,turicremisque ignibus uocare in uota deos, tumidus arrogantia, ac pectore ſidera ſibi contingere uiſus, par Ioui, Gradiuoque, delubrum totum perſonare cantibus: nihil ad magnificentiam, aut pompam praetermiſſum: itum in omne nefas,quo mortalis gratiam ſcelerati Principis aucuparetur. Relatum id Catharinae: mota iuſta ingenti animo indignatio: ſperni numina: taetrorumque iri in uota idolorum: caeleſtem honorem ſaxis, furijsque impertiri: nullius generoſitatem eſſe pro Chriſto,pugnareque aduerſus impietatem Caeſaris,& Cacodaemonum inſidias: uim, & machinamenta, omnia obtorpuiſſe metu: ouare haud dubie cum deuicto Chriſtianae pietatis nomine, ſtratoque trophaeo, impiorum rabiem, & diras: id ſibi indigniſſimum, & non ferendum; nullam opportuniorem affuturam inſeruiundi Chriſti occaſionem,aut tuendae religionis, promerendaeque laureae: multis id conceſſum uirginibus,ſummorũ gloria natalium,rarae pulchritudinis, magnarũque opum,famaeque: ſic ad Antiochiam Teclam, Flauiam Tarracinae; Alexandriae in gentili ſua terra Potamienam, in Vrbe Caeciliam, Martinam, Priſcam, Baſillam, Eugeniam, Agnetem, Catanae Agatham, Cyzici Fauſtam, aut in Aſia Eutropiam adeo tenellam, inter tela, & mucrones; reiectis ad terga manibus, impauide, generoſiſſimeque, ſpectante genitrice, concidiſſe: ſe uero degeneraturam ſeu earum a pietate,ſeu exemplo? pie fremere, ſeque ad capeſſendã haud incerti diſcriminis pugnam incitare. ad uenientibus poſtmodum tenebris, cum per noctem intentiſſime,demiſſiſſimeque numini ſupplicaret, commendaretque Virginitatem; (ob id enim non parum ſollicita; haud inſcia ingenij Caeſaris, non placide aegreſcebat animo,uehementiſſimeque triſtabatur) Deipara, clariſſimo circumfuſa ſplendore, ſe ei per ſpeciem obtulit, in

ulnis lactantem filium infinitae pulchritudinis, maieſtatisque geſtans, quae apprehenſam Virginis dexterã tanto lumine offuſae, trepidantisque, ac inuſitato adſpectu attonitae, filio placidiſſime intuenti Virginem, porrexit, inſertoque digito praecellẽtis pulchritudinis, ſummique anulo pretij filij ſponſam, nurum ſui pronuntiauit; demptaque animi formidine, & feliciſſime ſperare, & torum caſtiſſime aſſeruare, praebereque ſe in poſterum priori haud indignam aeuo iuſſit. Mox, ad ſuperna redeunte Deipara, ad auroram excita Virgo, contemplataque anulum, prae laetitia ingentem lacrymarum uim effundens, tripudiansque, uota iterum rata fecit, ſeque totam Chriſto deuouit, haud minori erga Deiparam amore exardeſcens. Quamobrem, ingenti martyrij inflammata cupidine, geminatis ad Deum precibus fuſis, multisque lacrymis, Crucis ſigno munita, plena fiduciae, & ſpei, magniſque animis, honeſtiſſimo aſſumpto comitatu, feſtina properat in certamen, aditque delubrum. Denſa ſpectantiũ corona complerat atria, occupatisque multitudine ualuis aedis, nullus tranſeundi, progrediendique dabatur locus, quo ipſa circumferebat oculos laeta, & triſtia multo rumore, offenſos animos, deiectosque euentu rei, & magnitudine ſceleris, poenarumque metu adactos animaduertit in nefas, grande incitamentum caeleſti pectori ad effundendam pro Chriſto animam, ingeminataque pugnae ſitis, roburque. Accerſito uiatore petitus ad Caeſaris tribunal ingreſſus, acceſſusque: extenta uirga patefactus repente aditus in alam ſecedentibus utramque mortalium agminibus, tantae pulchritudini haerentibus omnium oculis non ſatiata cupidine, & ardore. Vt peruentum ad Caeſarem, occupatis, (qui proxime curulem circumſtabãt) attonitisque dignatione uultus, ſplendoreque, omiſſo ſacrificio, relictisque aris, uerſi in Virginem oculi, atque ora. ipſa adſtans, clara, ac ſuaui uoce, elato

geſtu,

geſtu,ita Principem affatur: Quamquam, quae Auguſtũ decerent,a te ipſo prius,Imperator,diſcere, priuſque ſcire debueras, cum iam alijs imperites, ex teque Romani, quod ad Ortum pateſcit,Orbis pendeat imperium;tamẽ, cum plerique ſua aberrent non raro in cauſſa, ſapientiſſimis ueſtris Oratoribus fidem adiungere fas tibi erat,praeſertim quae deorum ad cultum attinent non incurioſe Martiam apud gentem tractata,ut ex ueſtris uetuſtiſſimis caerimoniarum libris, Etruſcorumque diſciplina apparet, etſi hi quoque grauiſsime, turpiſſimeque mentiuntur, mutis ſaxis, fictisque ſignis numen impertientes. a Diodoro ueſtro (quem uos ſapientem haud dubie fuiſſe non itis infitias) nonne elegantiſſime traditas ueſtrorum fabulas deum, nomina, oblatique cauſſam, atque originem turis didiciſtis? Quid, nonne etiam Romanorum ſapientiſſimus, ueſtrique parens eloquij Cicero, qui cum uno omnis Graecorum eloquentia conferenda nõ eſt, in ſuis libris praeclare de diis tractauit: quam grauis,quam facundus auctor,atque concinnus in eludendis philoſophorum haereſibus, & populari credulitate in immenſo iſto deorum agmine?Libuit uera ſenſiſſe,ſcripſiſſeq. conſularem in documentum poſteritatis: quid mirum,ſi poſt mortem ſummi uiri ex auctoritate Senatus nimium caeci, atque inſanientis intra primordia fabularum adiiſſe flammarum periculum ſcimus illius ſcripta,quibus deorũ cauſſa, & aſſerta falſo diuinitas tamquam uehementiſſimo,uiolentiſſimoque ariete quatiuntur? heu, quantum mortalium mentes decipiuntur, quantoq. caliginis horrore uallantur? Nimia Beli,Aſſyriorum Regis,fontis malorum & cupidinis fiducia ſui, & aduerſus ſuperos faſtu miſeri occidimus, monſtratis falſis numinibus in funeſti erectione ſimulacri, cultusque, poſthabito (cui debebatur) rerum omnium opifice, ac moderatore Deo, qui trinus in mirabili maieſtate aeternus, has, quas captamus,

fudit,

fudit auras, & aera, lucenteſque caeli globos, & nuſquā errātia ſidera perenni in caeleſtium motu orbium ſua ſapientia conſtituit, qui immenſa illa ſua pietate hominē, ad ſui factum imaginem, ingrate, ſcelerateque in nefas degenerem, ex caeleſti ſolio cuncta implēs, in terras deſcendens, editus ex Virgine, & noſtra mortalitate ueſtitus, mactatusque, in ſtatum erexit priſtinum, & faſtigium; reuulſisq. caeli ianuis, ad eam aeternitatem cunctos perfruendam euocauit. Quae igitur tam dira uos cupido, quae tam denſa erroris circumdat inſcitia? Gens Romana, tantis iam clara triumphis, eaq. geſtarum magnitudine rerum, terrarum, undaeque domina, obſceniſsimis, turpiſsimisque pocula libat monſtris, offertq. tura, & lemurum inuocat nomen, cietque infandos ex inferis manes, ſaxorumque elicit uoces? Nec uos lectiſternia, ſupplicationes, luſtrationesque templorum, aut perquiſitae fibrae, extaque, morti, & ſuppliciis eripient ſempiternis, hoc miſerius, quod cum his, quos colitis, una ultricibus flammis cruciabimini. Nulla religio, ubi nullum numen: nec ſperanda ſalus ab his, qui ſibi ipſi opitulari nequeunt. fruſtra ueſter omnium labor, cum in uoto mercedis, & gloriae diriſsimae poenae, ac ſupplicia manent. Cecinere illa Poetarum ſcripta, & laſciuia, uera illa quidem, quantum humanis ingeri mentibus, ac auribus poſſunt, (prae acerbitate, enim, diritateque, cum aeternitate explicari non poſſunt) etſi impurae mentes alio traxerint. ipſi iam teſtes ſunt, iamque, quae fabulati ſunt, cum horribili cruciatu experiuntur: qui ſi reuiuiſcerent, ſi exſiſterent, non me mentiri, non fabuloſa narrare, teſtarentur. Diu ipſa inter ſtultam mortalium ſcientiam, inter inſomnia, interque fabulas Poetarum, ac Philoſophorum carui luce, uixique ſepulta, fluitansque inter ſacuiſsimas huius ſaeculi inſidias, undique offuſa caligine, quaſſataque errorum, inſcitiaeque turbinibus,

nibus, mecum ipſa diis, quos patria colit, naufraganti-
bus. Chriſti iam benignitate deprehenſa ueritate, quae
ſola in Chriſto eſt, late iam, & undequaque emicante So-
le, afflantibusque placide auris, fugatis a penatibus, de-
tractisque ex mente idolorum cupidine, & fallaciis, ad
ſalutis portum me recepi, non ſine certiſsima beatitudi-
nis ſpe. Quamobrem hac de cauſsa ad te acceſsi, Augu-
ſte, ut, intellecta ueritate, damnares impia monſtra Ro-
mana, ac tantam, tamque immanem, penitusque ab ho-
mine abhorrentem impietatem expelleres animo, & fe-
ralem a Chriſtianis iugulis mucronē reuocares, clemen-
tiamque, quae eſt unica regnantis uirtus, amplexareris;
reſipiſceres aliquando; animumq. inter foedas aulae ſor-
des, turpiſsimaque ludibria, & funeſta adulatorum ue-
nena natantem, rationis in arce, ſedeque collocares; eos
imitari Caeſares in mentem inducens, qui togati, arma-
tique potius orbis terrae patrocinium habere uideban-
tur, quam imperium: damnata penitus nonnullorū me-
moria, quibus nihil umquam fuit in terris aſperius, nihil
minacius, nihil concitatius, nihilque trucius, nihil ſu-
perbius, aut rapacius, fallaciusque, quorum turpiſsi-
mum ſpiritum crudeliſsimus excepit occaſus; ſimulque,
exploſa omni idolorum uanitate, fatereris Chriſtum
Deum, illumque faſcium datorem uenerareris. non e-
nim recenter adueniens apud illum ſperneris: tarda pae-
nitentia, ſi ſeria, haud ingrata ſuperis, nec ſine mer-
cede, uberius in Caeſare decus, praemiumque cumu-
lantibus. Raptis omnium in loquentem animis, pars for
tuita, pars eloquentiam, pars grauitatem obſtupeſcere,
attollere, caelo lapſam plerique credere, omnia anguſtio
ra, quam adſpici fas mortalibus, cum, oborto ſtupore,
depreſſa uox, ſumma cupido noſcendi generis, nominiſ-
que inuoluere adſtantium pectora. Maximinus, attoni-
tus, iactatusque inter decora, maieſtatem, & ſapientiā,
& lu-

& ludibria ſui, deorumque hiſcere, non a uirgine flectere oculos, non promere uocem, prorſus uictus, ac ueluti inſomnia agitans: marmoream alias Venerem ab ſe Gnidi, pictam Coi, aut Dianam Epheſi, & in Capitolio Palladem uiſam uoluere. par oris dignitas, & gratia, ſimplicior habitus, & eo dignior cerni, numen non mortalis exiſtimata. Itaque diu Auguſtus haeſitans, exſpectantem reſponſum Virginem ſic alloquitur: Auguſtiſſima facies, & ſimillima Deo, tantaque dicēdi grauitas digna te, & praealta progenitam ſtirpe teſtantur, ſummaque tua eloquentia praeceptores in perpetuitate, & fama locat. eximia illis laus, talem inſtituiſſe audientem: in hoc tantum labas, quod Romana numina, deoſque nimis temere, & Chriſtianà petulantia proſcindis, largitores tantarum opum, & gloriae: qui ſi falſi, atque imbecilles (ut dicis) fuiſſent, nulliuſque momenti, nec noſtrorum ſapientiſſimos, quos perperam, ſtulteque interpretaris, nec ſacratas uetuſtatis leges fefelliſſent. Maiores quippe noſtri proculdubio monſtrorum debellatores, moderatoreſque terrarum, qui tantum ualuere induſtria, ingenioque, ut prope caelum inuiderit ipſis, has aniles, quas tu proponis, fabulas, & feralia ſacra ſi intellexiſſent, ad animorum ſalutem, felicitatemque, aut ad gloriam prodeſſe Imperij, id quod magni animi uotum eſt, non flammarum diritate, non mucronibus, inuſitatiſque ſuppliciorum generibus ex hominum mèntibus exſtirpanda curaſſent, niſi tu ex mortalibus omnibus ſola ſapere, & ulteriora rimari gloriaberis. ſtultum hoc, atque inſanum, penituſque abs te remotum exiſtimo, quippe omnis faſtus exoſus, & fugiendus, ſpientiae praeſertim tanta in Virgine prorſus intolerandus, cui tranſgredi placita maiorum ſine infamia non licet. Cui Virgo: Mortales hae ueneres, quas uides, quaſque tantopere attollis, Auguſte, ſi in intima, atque occulta animi receſſeris fugata erroris

 nube,

nube,& omni pertinacia,facile oſtentent machinatorem mei, tuique, & mortalium omnium: nam,ſi in luto haec ducit lineamenta, haec corpora format illuſtria oculis,& cara obtutui,quid de immortali illa pulchritudine dicen dum, quid cogitandum eſt? Abſit,Imperator, a Chriſti militibus caduca haec, & fluxa traducere ad gloriam: ille eſt noſtra laus,& gloria; ille noſtra ouatio, noſter triũphus. daemones ueſtri, quibus uos ſpectris eludunt,qui bus machinamentis oppugnant? facilis eſt illorum aduer ſus uos pugna,& non cruenta uictoria,dum animum prae cluditis ueritati, dum indignamini id addiſcere, quod ſcire debetis, quodque turpiter ignoratis, dumque inter obſcoena tripudiatis,& ſordes,dum uoluptatibus baccha mini, dumque in luto luxuriae, illecebrarumque uoluta mini; nec uos deorum fabulae ueſtro rum in ſuperſtitione euinciunt. ueſtra ſiquidem ab illis non incerte fides abeſſet, ſi cupiditas, luxusque corruerent: adeo tenui adminiculo ſpes, uotaque ueſtra nituntur, nec uagienté iſta fugerent infantem, ſed pugnat aduerſus ueritatem arrogantia, & impudentia pudori luctatur, infernaque monſtra in latiſſimo uos uoluptatum campo,tamquam in ualidiſſima arce, concluſos, captosque furioſe contrucidant, certique de praeda (dum uobis uitam inter laetitiam, & amores largiuntur) aduerſus Deum nefarie,diri terque inſtruunt, armantque; adduntque currentibus ad occaſum irarum, furorisque ſtimulos ueſtro in lapſu, ruinaque: multorum quoque,qui eorum repugnant impietatibus,ac non trepide Chriſti cõfirmati uirtute, tutique numine negotium illis faceſſunt, exitium anhelantes. Plura dicere uolẽtem Virginem interpellat Maximinus, nimia dicendi libertate offenſus, euictusque rationibus, graue maieſtati, graue dijs ſuis ex ſilentio, & inſcitia ſua impendere diſcrimen, & dedecus praenoſcens. Itaque, Virginem intuens,Peracto,inquit, ſacrificio, riteque ex-

piatis

piatis piaculis, numinibusque propitiatis, in Praetorio erit tibi ſeruata arena, puluiſque: ibi cum diſertiſſimis noſtrae philoſophiae magiſtris de dijs eluctaberis. dignum ſpectaculum Auguſto numine noſtro, & ſapientia tua, ubi uictam, quod deorum benignitas haud incerte promittit, faſſuram te ſpero noſtrorum numinum uim, poteſtatemque, abnegato Galilaeo. Ita, Virgine cuſtodiae tradita, reuerſus in aulam Maximinus, litteras, nuntiosque omnem per Aſiam, Europamque ad ſummos deſtinat Oratores, magna praemia oſtentat, dignam palaeſtram, optandam ſapientibus, & nominis, famaeque auidis, poſtpoſitisque alijs Imperij curis in id tantum trahi uidebatur, et ſi diuulſa cum Maxentio, altero monſtro, Maximiani, Eutropiaeque filio, per caedem Seueri ſobrini euecto ad faſces, iuſtaque erga Galerium auunculũ adoptato ſibi Licinio Daco, appellatoque Auguſto indignatio, terribilem, & impurum animum libidine foedũ, deditum abdomini in arma irritarent. Igitur, hoc Maximini ad gentes perlato edicto, Athenae, & Rhodus miſere ſuos, nec Babylon, Memphisq. ſua portenta retinuere. quinquaginta inter alios Oratores Alexandriam conuenere: benigne ſuſcipiuntur a Caeſare, ampliori facta pollicitatione, ſi uiciſſent. multa de diſciplinis ſciſcitatur, (quippe haud litterarum neſcius, ignotuſue Athenis) ceterum & pacis artibus ignobilis, & per ebrietatem funeſtus, nec bello fortunatus, Magorum, haruſpicumque artibus quam maxime addictus, ſeipſum crudelitate exſuperans. Vocationis deinde eos cauſſam edocet, inflammat ad uictoriam, attollit uel inuitus Virginis ſapiẽtiam, proponit ante oculos cauſſam numinum, pudorem, atque ignominiam ſi ſuccubuiſſent. Motus ſtomachus uni e Principibus Oratorum Mytilenaeo, (proprium ne uiri nomen, an ex patria Lesbo deſumptum cognomen, ignoro, ſic legi in Graeco uolumine mutilato, crebriſque

deturpato lituris,& ſine nomine auctoris)uiro ſapientiſſimo, clariſſimoque, & per illam tempeſtatem nemini comparando ob ſummam nominis dignitatem, diſciplinarumque claritudinem, ſummumque acumen ingenij, ſed Graeco faſtu, & iactantia uentoſo, lingua immodico, prorſus omnia faſtidienti, uoxque audita indignantis, minimum ex diſcipulis faceſſiturũ negotium ſapientiſſimo terrarum nedum tenellae Virgini fabuloſis enutritae diſciplinis, & apud anus. Laudatus a Principe magno uerborum praeconio, additusq. ceteris ſtimulus ipſo Caeſare in maius euibrante animos, &, ueluti de uictoria certo laetabundo, iamque ex irriſa, conculcataque noſtra religione trophaeũ Mercurio, Mineruaeque locaturo, id pro Babylonico excidio, aut Cteſiphontiacis ignibus, thyaraque Parthorum, uel ſibi felicius augurante. Statuta diſputationis die Auguſta aula pro arena decreta: mox accerſita Virgo; quae per eos dies uehementiſſime pectora afflixerat, magnisque in auxilium precibus numen expopoſcerat: tum uero, haud ſibi confidens, Dei benignitate per Angelum cognoſcit, ſe palmam aſſecuturam, tractis ante currum captiuis aduerſariis, ſtrataque Caeſaris uanitate. Itaque progreditur in certamen, non pauida animo, non pugnae diſcrimen exhorrens, aut grauidatis faſtu pectoribus,ſed demiſſa ceruice modeſta, uultu hilari, laetantique. quo magis abſcondere, celareque maieſtatem, decusque nitebatur: latius emicare oculorum lux, ingeminarique fulgor; ſimulque ſpectantium in animis admirationem, gaudia, metum, & pudorem ciere. Maximinus, ſublimi in ſella conſpicuus,gemmata ueſte laureatus, militari adſpectu, & graui pectore ſubſidere,latera iuuentutis flos, & robora Tribunorum, Centurionumque, fulgentes Aquilae, faſces terror gentiũ, & ſecuris circumdare; e contra ſubſellia Oratores recepere aduerſos Virgini. It hac de re

fama

ſama per Vrbem, cum prius Catabathmos, Elephantinos, Arſionas, Nubas, Megabaros, Napataeos, genteſque finitimas mouiſſet, fit in Regiam ingens concurſus, uarij animorum motus, & uarij ſenſus, incerta uoluntas, diſparia uota, metu, & ſpe rès agitari, pugnantium animi, & cura ipſa ancipitia. Facto ſilentio, prior Virgo, nondum ſtricto eloquentiae mucrone, uictrix fauore multitudinis, Caeſarem intuens: Num iuſſu tuo, inquit, haec acies inſtructa, & pugnatura eſt, Auguſte? Quam inaequalis congreſsio, & impar Mars? Puellam quinquaginta aduerſus Oratores tantae exiſtimationis, tantaeque gloriae ſiſtere? Sed, quoniam ingentes labores non parua merces ſubſequitur, id unum abs te, Auguſte, peto, quod denegare mihi a magnitudine animi tui non erit, ut, ſi uictoria penes me fuerit, Chriſtiana in ſacra deſcendas. Ad quam Imperator, ſubagreſti uultu, & uere Thracio; Num condiciones pacis, bellique nobis praeſcripſeris? Victorum eſt iſta condicio, & arbitrium. nunc uidebimus, utrum a nobis, an a te uictoria ſtabit, auſurus ue ſit aduerſus nos bellare tuus ille Galilaeus, aut audaciã fortunare tuam? Hinc Catharina ita ab Auguſto reiecta, uerſo ad oratores ſermone: Quando hic, inquit, in ampliſsima arce terrarum, & a Romana ſecunda effundenda omnis uis eſt, acerrimeque certandum, & non dubie famae, dignitatiſque faciundum periculum, in tanta intuentium multitudine, turpe uobis, Graecae ſapientiae Principibus erit, conticeſcere. Tunc rurſus Mitylenaeus, ſilentibus ceteris, obſtupentibusq. ad tantam dignitatem, atque inaeſtimabilem formam, cũ omni uenuſtate, reſponſo arroganti Virginem irridens: Tu ne es, quae magnis diis maledicis, & Academiam, & Lyceum ſpernis? Tua huc acceſsimus gratia: aequũ erit, te prius audiri loquentem, ut noſtra non incertum ad ictum tela euibrentur. Tunc Virgo: Vnde, potentiſsime,

ſapien-

ſapientiſſimeq. Auguſte, grauiſſimeque Graeciae conſeſſus, & lecta Romana manus, orationẽ exordiar? quae principia feram rerum, religionisque? quo media coniiciam, quibus nouiſſima claudam? Quippe, ſi mihi de diuinis rebus dicendum ſit, licet immenſam comprehendant myſteriorum ſegetem, & infinitum quantumuis rudi campum aperiant, in quo uagari libere, & arbitratu ſuo poſsit excurrere, nihil tamen aut animum feriet, aut linguam magis impellet, quam Auguſtiſſimum illud incarnati Verbi Sacramentum, ubi infima ſummis, terrena caeleſtibus, humana diuinis ſempiterno foedere connectuntur. Iacebat humi infelix Adae poſteritas, & uix orbis terrarum infantiam, uix Lunae, Solisque cunabula uiderat, cum repente, extorris abire coacta, non ſolum iis, quae olim a Deo liberaliter acceperat, eſt orbata luminibus, ſed, letali etiam confoſſa telo,& callidi ſerpentis imbuta uenenis, iis miſere ſeruire cogebatur, quibus iure dominari debuiſſet. Quid ageret miſera? Erigere ſeſe ex tanta calamitate non poterat, nullis aut amicorum praeſidiis, aut humanis inuentis medicinam uulneri reperiebat. Latebat in uenis malum, & nobiliores ipſas animi partes, in quibus reſidet ratio, ingenti clade proſtrauerat. Sed audite pietatis genus numquam auditum quamquam digniſsimi eramus,ut in contracto ſitu,ſqualoreque perpetuo relinqueremur, Dei tamen filius, pro ſua in ſtirpem noſtram clemẽtia, ad humanae ſe naturae miſerias demiſit, ut nos diuinae faceret conſortes naturae, mortem guſtauit, ut peccati regnum deſtrueret; delituit infantulus in praeſepio, ut nos in ſordibus iacentes, & miſerandum in modum diſiectos clementiae ſuae dextera rurſum erigeret; ad extremum, ut ſua illa admirabili Oeconomia totum illud in integrum inſtauraret, quod primi parentis ſcelere male quaſſatum conciderat, adſcenſo Crucis patibulo deleuit ſanguine ſuo, quae ad-

uer-

uerſus nos erant, acerbiſsimas ſyngraphas, & paterni chirographum decreti affixis ligno manibus proſcidit. Poterat ne in cuiuſquam non dico ſpem, ſed uel cogitationem cadere, ut hominis cauſſa Deus, uel penderet in ligno, uel inter beſtias uerſaretur, uel urgēte ſaeua hyeme puer factus unius diei, cum ſit rerum omnium ſtirps, & origo, gemitus, lacrymasque profunderet. Non fabulas narro: accepimus enim a Spiritu Sancto unigenitum Dei Patris, cum genus noſtrum inuiſere, & in libertatem aſſerere decreuiſſet, delegiſſe natalibus ſuis non ampliſſimam domum, non auro, ſericoque ueſtitam, non ſuperbis ornatam laquearibus, uerum ſpeluncam male materiatam, tenebris ſqualentem, ac ſitu, pecudum ſtabulum, ac beſtiarum, lectum non aureum, nec conchyliato periſtromate, egregiisq. operibus uarium, cunas non ex ebore diſtinctas gemmis, & multo caelatas artificio, non operoſas, elegantesque faſciolas, ſed praeſepiū non tam feni mollitudine iucundum, quam calamorum aculeis aſperum, ut his nimirum armis cladem noſtris ceruicibus imminentem auerteret, & de caelo ſaeuientem in nos iram exſtingueret. O amor, ò pietas. Debebat ſeruus: ſed perſoluere ingenti preſsus aere alieno non poterat. diues erat Dominus, ſed nulli debitor: induit ergo formam ſerui, &, Orbis terrae conditor, caeleſtium domorum architectus, gloriae paternaę ſplendor, diuinam ſuam lucem uelauit quodammodo ſuſceptae carnis integumento, ut eſset pariter humilis, & mirabilis, ut in una, eademque perſona diuitias intueremur, & debitū, & domini maieſtatem ſeruili coniunctam humilitati ueneraremur. non eſt circumciſa diuinitas, nec in carnem conuerſa. retinuit Deus, quod erat; quod non erat aſſumpſit. natus eſt enim a Patre Deus ſaeculis innumerabilibus ante caelum, qui, inſtante mundi ſeneſcentis interitu, nullo uirili ſemine in unius Virginis utero conce-

ptus

ptus eſt homo, & paternae iuſtitiae condignum pretium
pro ſceleribus hominum non paſſionis diuturnitate, ſed
patiētis dignitate perſoluit. Enitere, philoſophe, quan-
tum potes, uel ipſos, ſi placet, contemplationis cauſſa o-
culos effode: numquam tamen incarnati Verbi maieſta-
tem, & latentem in infantia ſapientiam pro dignitate re-
uerebere. Eſt ſupra caeleſtes orbes, extra Lunae, Solisq.
uias immenſum aeuum, & ibi pulchrior quidam mundus
flammae uiuentis, & uegetae, quae ardorem non habet,
ſed placida combuſtione bonitatis ſuae radios undequa-
que diffundens, & uitam, & mentem, laetamque caelo
ſerenitatem, & uberem ſolo fecunditatem, & immenſa
denique beatis gaudia ſine ulla ſui egeſtate largitur. Nō
eſt hic flammae globus immenſus mole, ſed uirtute gi-
gnendi pandit ſe circumquaque, & cuncta complet uaſti-
tate ſua expers corporis, & quantitatis, lucet a ſe, a fon-
te ſuo, a theſauris maieſtatis ſuae, ſibique gignit cooeuū
lumen, cui ſi Solem hunc noſtrum, quem cernimus ocu-
lis, conferre uolueris, eum ſcintillā quandam perobſcu-
ram eſſe, &, ut uerius dicam, caliginem pronuntiabis.
Non me latet, reperiri nonnulla in ueterum ſcriptis huic
ſimillima ueritati: apud Platonē ſaepe fit mentio de tri-
bus Regibus, huic rerum uniuerſitati dominantibus. Or-
pheus inculcat identidem ternarium illud perbeatum,
quod ex ſummo bono, ex mente, ex mundi anima con-
ſiſtit. Sed haec omnia, Graecorum more, tot uerborum
ambagibus celant, tantis contegunt errorum inuolucris,
ut contentionis auidiores, quam cognitionis, fuiſſe ui-
deantur. Reges Platoni non eiuſdē, ſed ſimilis ſunt po-
teſtatis. nos eandē omnino in diuinis perſonis agnoſci-
mus dignitatem. Mens Orpheo poſterior eſt ſummo bo-
no, non aetate ſolum, ſed cōdicione naturae: nos men-
tem, & ſummo coeternam bono, & ſummum eſſe bonum
aſſerimus. Fremunt philoſophi, & in Chriſtianos ratiun-

culas

culas quaſdam, quaſi amentatas haſtas ſummis uiribus, lacertisque contorquent. Sed, quis illorum aut conatus pertimeſcat, aut ſtultam ſequatur ſapientiam, quos haereticorum parentes fuiſſe conſtat? Eſt quidem aliquis diuinas inter perſonas ordo, qui tamen ſimilitudinē inter ipſas, aequalitatemque non minuat. Prior eſt Filio Pater, & proles genitore poſterior, ſed non naturae gradibus, non temporum conſequentia, non diſſimilitudine dignitatis, ſed dumtaxat origine, ut non immerito a ſanctiſſimis uiris afflatu diuino appelletur lumen de lumine, quia, cum de lumine lumen accenditur, nihil uel de altero diminuitur, uel deſideratur in altero, & Filius, quamquam ex aeternitate genitus eſt a ſolo Patre ratione quadam nobis incognita, ſine ulla tamen perturbatione, aut commiſtione naturae eſt illi coniunctus, & ab eodem ſola hypoſtaſi, ſine ulla diſtractione, uel auulſione diſtinctus. Itaque, ut uno, eodemque ictu Ethnicos, Iudaeosq. confodiam, non eſt ſolitarius Deus, quia in triplici perfecta perſona conſiſtit; nec eſt multiplex, quia trium hypoſtaſeon οὐσία ſine ulla diuiſione in ſingulis integra reperitur, ut & mirabilis ſit in tāta unitate diſtinctio, & mirabilior in tanta diſtinctione communio rerum, atque ſocietas. Quam libenter hic eſſem diutius, Deique filium orbem utrumque moderantem, ſiderum plauſus, perennes Angelorum laudes, & curuata illi rebellium genua mentis oculis contemplarer: ſed eius me reuocant cunae, ſolicitant uagitus, & lacrymae, ut demiſſis in terram oculis intuear hominis cauſſa in praeſepio iacentem, quem ſublimi ſedentem throno paullo ante conſpexeram, nimirum factus eſt nouus opifex ſui, & architectus uilis in praeſepio, uilior in Cruce, ut monumenta amoris erga nos ſui aeternis conſignaret chartis, pietatisque illuſtres notas non in tabulis lapideis, non in columnis, non in aere Corinthio, ſed in excarni-

ficato pectore ſuo cerneremus inciſas. Non tenuit diutius iram Mitylenaeus Graecae iactantiae heros: ſed ulterius pergentem uirginem indignabundus excepit. Tu ne ſtultiſſima feminarum, coram totius Graeciae luminibus, nihil aut philoſophorum grauitate, aut trabeali celſitudine, purpuraeque ſplendore perterrita tantum opus aggrederis? diſputas enim nō de elementorum uiciſſitudine, nec de ſiderum curſu, ſed, quod ſummae indicium eſt arrogantiae, de deorum natura, nouosq. inducis cultus, nouos moliris deos, nouam fingis, nobis praeſentibus, felicitatem. Teſtor Saturni ſolium, numquam me tantis iracundiae ſtimulis exarſiſſe, numquam mihi magis inuiſos dies, & inquirendo, diſputandoque conſumptos, quam in praeſentia, ubi irrideri quodammodo a puella uiros, uelitari ab adoleſcentula ſenes, doceri ab infante philoſophos, ipſos de caelo a mortali femina immortales deturbari deos intueor. Doleo caſus tuos, o Iuppiter, uobisque omnibus beatarum Sedium incolae, fletibus potius, quam altercationibus, triſtique ſilentio parentarem. Video enim dicacitate puellam, & pulchritudine inſtructam numinibus bella mouentem; uideo commota auditorum pectora, diſiectas e ſententia multorum mentes: ardent in uenis ſpicula tam eleganti collimata manu. quid tandem? Vtinam falſum auguretur animus: extorquebunt non ex praecordiis uitā, ſed ex imis uiſceribus religionem. Verum nec mihi, nec diis deero: intendam in hac aetate neruos, &, qua maiori potero, animi contentione pugnabo; breuique uerborum ambitu has nouas ambages ex Hebraeorum officina depromptas, ut umbras, laruasque, proſternam. Tribuis ne tantum tibi in hac aetate, ut temere putes, omnes ubique homines ante te in taetra errorum caligine iacuiſſe, quouſque tu e caelo delapſa ueri lumen praeferres? O te miſerum Plato: o te infelicem Ariſtoteles:

teles: quid uobis rerum paene omnium cognitio profuit, quibus prius contigit ex hac uita diſcedere, quam Catharinam philoſophantem audiretis. Euolue diligenter omnẽ antiquitatem: interroga Graeciae ſapientes, Perſarum Magos, Syriae Chaldaeos, Sacerdotes Aegypti, Indorum Gymnoſophiſtas, Druades Gallorum de Dei natura quid ſenſerint, & reperies numquam eos in tam diuturna commentatione, in tanta diſciplinarum luce, de deorum, quam ſemper coluerunt, multitudine dubitaſſe. An non magnam habent iſti uim in ingenio, auctoritatem in ſententia, pondus in uita? Sed uide, quantum interſit inter puellam aſſuetam colo, calathiſque Mineruae, & ſapientem ſenem ſtudiis, & diſputationibus exercitum. Vnum dum adſtruis Deum, plures incaute conſtituis. Pater apud te fons eſt, & origo diuinitatis: huic cũ per omnia Filium aequalem facis, pacis inter homines, caeleſteſque ſequeſtrum (ut Spiritum illum, quem Sanctum uocas, in praeteritis habeam) non aduertis duos a te diuinitate donari? Quo te uertes? Explica te, ſi potes ex hoc nexu: profer ſi quid habes: effare tandem, ut triumphus, quem mihi de Chriſto concertando peperi, confeſſione tua reddatur illuſtrior. Tunc iterum Virgo: Quid mirum, ſi nihil de diuinis rebus eloquatur, & credat, qui ſuorum ſenſuum turpe mancipium, nihil reperiri putat expers ſenſus: immo uero ita oculis omnia, & imaginationi, quae plerumque fallitur, accommodat, ut, quae illorum aut obtutum, aut iudicium effugiunt, fieri nullo pacto poſſe fateatur. Deus a uobis, o Graeci, πάγκρυφος dicitur, hoc eſt penitus occultus, & abſtruſus: apud Platonem Timaeus non dubitat affirmare diuinam naturam eſſe cognitu difficillimam, &, ubi fuerit inueſtigata, indicari, atque in uulgus enuntiari omnino non poſſe. Simonides Hieroni percunctanti quid eſſet Deus, cum ſaepius ad deliberandum dierum nume-

rum duplicaſſet, quid tandem protulit? Rem ſibi obſcuriorem fieri, quo diutius conſiderabat. Cedo quid cauſſae fuit, cur acerrimi homines ingenij, & ad dicendum promptiſſimi, in hac una diſputatione de Deo uiderentur elingues? Nimirum abſcondita ſunt haec ſapientibus, & reuelata paruulis ab eo, qui Crucis ſupplicio ſtultam fecit ſapientiam huius mundi: in quorum ſortem ſi ſemel tranſieris Mitylenaee facile cognoſces, in quanta plerique ſine lumine fidei caligine uolutentur: quamuis de illorum numero ſint, qui in Academijs, & in Lycaeo buccis concrepantibus ſcientiam uenditantes exhibent ſe aliorum magiſtros, qui numquam fuere diſcipuli ueritatis. Sed ad rem propius accedamus. Inaudita uobis eſt unitas Dei? O egregios orbis Doctores: o de philoſophia, deque ipſo hominum genere male meritos: quid uos docuit Peripateticorum Princeps in Ethicis ſuis, quem in inueſtigatione rerum natura ſibi ſocium adſciuit (ut fabulatur antiquitas) optimum eſſe regimen Principatum unius. Negabitis igitur admirabilem hanc mundi molem, illuſtre & domorum, & Ciuitatum omnium exemplar, alio uti gubernandi genere, quam unius uoluntate, imperioque. Luſtrate oculis omnia: perpendite animo tot corpora, & loco, & ſitu, & proprietatibus pugnantia, his tamen inter ſe legibus nexa, ut pacem ſeruent in pugna, & concordem diſcordiam aemulentur. Quis ſanae mentis non exiſtimet, haec ab unius tantum uoluntate pendere, qui, ut rebus omnibus uitam conſeruaret, inter arma terram radicibus haerentem ſuis librauit in medio ſpatio; fluctus indignantis Oceani, ne terram obruerent, minutiſſimis frenauit arenis; ignem edaciſſimum, & impatientem ſocij, longiſſime a frugibus, a miſtis, ab animantibus abduxit, ne abſumeret omnia, eiuſque ingenitam uim caelo, hoc eſt ſolido quodam corpore corruptionis experte, & numquam ſeneſcente compeſcuit.

peſcuit. Quanto ſapientior uobis Triſmegiſtus, qui, caeli, terraeque theatrum diu contemplatus, aiebat, uideri ſibi uniuerſum hoc pictam quandam tabellã eximij opus artificis, in qua licet uirentes riparum amictus cernerentur, ſpeluncarum cõciſi amfractus, receſſusque, & liquores perlucidi amniũ, & abruptae ſaxorum cautes, ac impendentium caelo porrecti montium uertices, camporumque uaſta planities, eo tamen erãt ordine cuncta diſpoſita, ut idem omnino arguerent artificium, eundem artificem, eandem denique magiſtram manum ubique quaſi digito commonſtrarent. Attollat nunc ſupercilia Babylon: ſuſpendat India naſum: frontem perfricet Heliopolis: proſiliant aliqui ex nouis Athenis magiſtelli, intrudant apud plebeculam in compitis ignota numina: quid tandem lucrabuntur? infamiam. Omnes enim intelligent, hos nouos eſſe tyrannos, non corporum, ſed animorum, qui ratiunculis ſuis, ut rebellibus armis, id unum ſtudeant efficere, ut, excluſo Monarcha Deo, inuiſam pro eo in Orbem terrae deorum inducant polycratiã. At deorum, inquiunt, cultus a mundi naſcentis exordio uſque ad hanc noſtrã uiguit aetatem. Portentoſum mendacium. Afferant, ſi quod poſſunt, idololatriae ueſtigiũ ante Belum, quo apud Aſſyrios regnante exortam accepimus, cum tamen a molitione rerum plura iam ſaecula praeteriiſſent, in quibus homines ſoli Deo obtulerãt uota, ſoli adoleuerant tura, ut opem in periculis, rebusque dubiis implorarent, aut contractas animorum ſordes eluerent. Nos quidem Enoch proferemus, ſanctiſſimum hominem, & diſciplinis nobilem, & annis onuſtum ſenem, qui, ut poſteritati proſpiceret ſuae, praecepta de uno, ueroque timendo Deo duabus inciſa columnis, ne aut aquarum alluuione, aut ultricibus flammis penitus interirent, tradidit hominum memoriae ſempiternae. Serpſit idololatriae lues (non inficior) in dies magis, iiſdemque

demque

demque per multos annos eſt aucta, quibus & hominum aetas incrementis: ſed expulit tandem temeritatem ſapientia: ceſſere fulgoribus tenebrae: diluxit: iam patent omnia. neque enim defuere in Aſia, Graecia, Italia, Libya, aliisque complurimis mundi partibus uirgines uaticinio inclytae, quas Sibyllas appellant, quarum carminibus eſt, quaſi machinis quibuſdam, bellicisq. tormentis concuſſus, quaſſatusque error, ad extremum funditus Chriſto naſcente ueritatis aſſertore ſublatus. Deus bone, quanta in Sibyllinis libris latent myſteria rudibus uelata carminibus? Hos adeant, ſi qui ſunt apud uos inquirendae ueritatis ſtudioſi, & inuenient numinũ explodi multitudinem, irrideri idolorum artes, & profana ſacra, religionemque noſtram non ſuis modo coloribus adumbrari, ſed ſummis etiam exornari laudibus, praecipique in primis cognitionem unius Dei, quem nunc regnantem in caelo, nunc Virginis utero clauſum, nũc uagientem in cunis, nunc ſanguine manantem in Cruce, nunc denique omnium hominum cauſſas, & merita cognoſcentem proponũt. Quid plura? Tam copioſe de Dei filio, eiusque rebus geſtis loquuntur, ut non uaticinia fundere, ſed texere uideantur hiſtoriam. Iam uero, ſi ad philoſophos ueniamus, confectum eſt proelium. Noſter eſt Mercurius, cui, ob plurimam rerum ſcientiam, Triſmegiſti cognomen dedit antiquitas, qui ob eam ſolum cauſſam Deum affirmat eſſe ἀνώνυμον, quod, unus cum ſit, nominis notione non eget, quo diſtinguatur ab aliis. Noſter eſt Socrates, quem ſapientiſſimum ueſtra cecinerunt oracula, cui cum eſſet ab Athenienſibus ex altera parte cicuta, ex altera uero deorum multitudo propoſita, cicuta bibenda generoſe uitam finire maluit, quam ab unius Dei confeſſione ſtulte, inſipienterque recedere. Noſter Ariſtoteles, qui uoluntario ſe multauit exſilio, ne cogeretur in poenã Socratis incurrere, cuius ſequebatur ſen-

ten-

tentiam. Noſter Plato, tam clari, atque egregij nominis philoſophus, qui uſqueadeo in ſuis & ſermonibus, & dialogis fidem, quam profitemur, expreſſit, ut paſſim ab omnibus Moſes Atticus diceretur. Quid Tullius Romanae parens eloquentiae, quoties in epiſtolis ad familiares deridet deos, quos populi metu precatur in roſtris? Noſter Apollo Delphicus, apud uos inclytae famae: is enim interrogatus an uere dij eſſent, qui in ſimulacris reſpondentes pro diis ab hominibus colebantur, unum reſpondit tantummodo reperiri Deum, cuius illi omnes leuem quandam ſimilitudinem accepiſſent. Sed non intelligit Mitylenaeus, qui fieri poſſit, ut Deus unus ſit, & filium habeat diuinae participem eſſentiae. Audi, nō eſt ὁμοιούσιος Patri filius, ſed ὁμοούσιος: proprietas eſt in illo diuerſa, non natura: ſubſtantia eſt una, ſed ſubſiſtētia triplex. Nec quaeras in Deo nuptialem thalamum, uariumque ſexum: non imbuitur alieno ſemine parturiēs uterus: ſibiipſi ſufficiens eſt Patris intelligentia, ſuis plena ſeminibus, ſuiſque grauidata diuitiis, & gignit, & parit uiuentem prolem, nullis creatae rei terminis cohaerētem, nullis aeui periodis circumſcriptam. Quod ſi puellae fidē non habes, crede Serapidi, qui percunctanti Tullo, num beatiorē ſe, ac feliciorem agnoſceret quemquam inquit:

Principio Deus eſt, tum ſermo, & Spiritus iſtis
Additur: aequaeua haec ſunt, & tendentia in unum.

Non patiar in tanta rerum copia, & in tam amplo, latoque dicendi campo orationem meam longius euagari. Vos, ſi poteſtis, attollite mentis oculos, & inuenietis regionem ubertatis indeficientis, immenſoſque terrae uiuentium tractus. ibi facile uobis erit deſpicere fucatam hanc corporum pulchritudinē, quam pro numinibus colitis: ſpectabitis domum non manu factam, quae ſuum ſibi diem facit negante Sole. Quis aeternorum roſas, ac lilia collium praetereat? purpuratos ſcilicet martyres, &

can-

cādidatas Virgines caeli delicias ſecretioris? quae, ſponſi praeſentia perbeatae, illumque comitantes, quocumque ierit, ſplendidos Lunae, Solisq. globos, nec ſuis quidem dedignantur plantis, orbemque ipſum ſtellantibus inſignem aſtris ſublimi ueſtigio calcant. Quis me centuriabit, quis in earum numerum adſcribet? O diem illum, mihi prae omnibus, qui illuxere, feliciſſimum: quo, dulciſſime ſponſe, os iſtud auguſtiſſimum, aeternamque lucem hiſce oculis hauriam? Ingens poſt haec in coetu ſilentiū, incredibilis admiratio, fracta ſpe uictoriae, emuncto animorum uigore, & iactantia Chriſtianam ad religionem tacita propenſio. Pars ergo intueri ſolum, pars in Virgine fixis oculis hiſcere, pars ſuſpicere caelum, furtimque dare interdum in occurſum oculos, alter alterius ora, uultusque proſpectare, maerere, ſenſimq. ferri auide in quae pugnarant, damnatis, quae defenderant. Quod ubi animaduertit Auguſtus, ex ſilentio cladē ſuorum, & aduerſariae uictoriam intelligens, magno incitatus furore, uoce horribili, Quid, inquit, dediſtis manus, uicti ne eſtis, ceſſiſtis femellae? ubi iactantia, primoque in congreſſu audacia, ardorque animorum? Gens uilis & Graecula tam ignobiliter ante Virginem cadit? Pro pudor, ita ne Athenaei gloriam, decusque Academiae, aut Prytanaei faſtum, grauitatemque Ariopagi defenditis? Profecto de tumido bellatore nihil felicis augurabamur, cum non eloquentia, non acumine ingenij, (haec arma, hic mucro diſputantium) ſed iactantia perſtrinxit aduerſariam. Ecce una aduerſus Virgo ſtetit nuper nutricis abſtracta uberibus, & tamen cum ignominia Deum, cum dedecore ueſtro, omniumque, qui circum adſtant, de Athenis, Rhodoque triumphum refert? Haeccine a uobis exſpectabamus? Haec ne deorum cauſa poſcebat? Ita ne diuini noſtri praeſentia numinis requirebat? Tūc Mitylenaeus (qui hactenus aduerſus Virginem ferociſsime

ſtete-

ſteterat) Nemo,reſpondit,inuictus a nobis diſceſſit, Auguſte,nemo noſtra terga uidit: ſemper praeclare uicimus non minus nobis ipſis decus, quã patriae acquirentes: at in ueritatẽ pugnare nemo philoſophus auſus eſt,nec nos deinceps audebimus. id enim philoſopho propoſitũ inueſtigare,& perquirere ueritatem,ea laetari, & frui, non ultro laceſſere conuicijs,oppugnareque: nos illã iam apprehenſam non ignauiter dimittemus: ceſſimus praeclariſſimae puellae,non imus inficias,ceſſurique ſumus: damus ei manus: praebemus colla catenis: magnum illi decus,& ſempiternum Athenarum gloriam, ſapiẽtiamque fuſam, ſtratamque ſuppliciter ſibi apprehenſantem genua conſpicere,non minus huius inclytae, inuictiſſimaeque id laude geſtum eſt, quam commodo noſtro, qui ridiculis imbuti religionibus, immo ſuperſtitionibus,hucuſque impie, nefarieque ipſi (ut nobis arroganter,& reliquis uidebamur) magiſtri uirtutum, in uaſto uitiorum pelago fluitauimus: poſthac properare ad litus in animo eſt, perque ſanctiſſimam huius Virginis eloquentiam, ſummam integritatem, infinitam ſapientiam, per pietatem, religionemque ad Chriſtum confugere, uerum, aeternumque Deum. inſcienter errauimus: pie agnitũ flebimus erratum. id ipſe ex omnium Collegarum ore pronuntio, aſſero, & affirmo. nulla poena a ſanctiſſimo nos propoſito auocabit. non indecorum eſt philoſopho, in ſenecta addiſcere: diu ſudauimus, alſimuſque, dum inepte nimis caelum metiebamur, inanemque auram aucupabamur: non pigebit nunc pro certiſſima, diuinaque doctrina cruorem largiter effundere: ſatis errorem nouerimus, ſi ſcelus cum paenitentia fatebimur. Tunc Auguſtus, uirorum audacia terribilior redditus, annuit lictoribus,ut ſubſtrictis palmis, pedibuſque omnes in pyram conijcerentur. Dum trahuntur ad ſupplicium, ſe inuicem cohortari, animos facere, extollere generoſita-

tem, Chriſto gratias agere, laetiſſime eſſe, non trepidè mouere greſſus, omnesque ad Virginem uerſi rogare, obteſtarique, ut antequam abſumerentur corpora igni, eius manu baptizarentur. Quibus Virgo: Pellite ex animo metum, generoſiſſimi milites, lecta bellantium turma: fortiſſimum imbellia dedecent: nouiſtis iam Deum: ite: pugnate ferociter: ueſtri unda cruoris, ſacrarum implebit officia lympharum. eximit Chriſti clementia, ueſterque animorum ardor omne expiationis dubium. Poſt dicta, iacti in flammas ſimul omnes concremantur, tactis haud quaquam corporibus, ueſtibusque, dormientes iudicaſſes, non uita functos: is ori candor puniceo admiſtus colori, is ſtatus, idemque quibus uiuentes effulſerāt, decus, & gratia inerant. Horum a nece Auguſtus rurſus Virginem blanditijs attentat, ſtantem adulatione quatit, admouet cuniculos: O Nili, inquiens, decus, o pulcherrima puellarum, o nata dijs, o generoſiſſima Virgo, Romana digna curuli, tenellam quaeſo reſpice aetatem, metire modo exoptatiſſimos annos: noli immaturum nimia tua peruicacia, & crudelitate obterere iuuentutis florem: flecte parumper animum: molli pectora: honora deos: non ardua, & dira iubemus, tuis non indigna maioribus. etenim, ſi Ptolomaeorum manes, ſi cineres fari poſſent, deteſtarentur iſta tua conſilia, & nobiſcum profecto ſentirent. O Catharina, nobiſcum perfruere quae ſo bonis: a Fauſtina rege ſecunda ſceptrum: da gentibus iura: magna pollicemur, maiora ſiquidem dabimus: nemo Auguſti circumſcribitur uerbis, nemo eluditur, nemo Auguſtorum damnauit promiſſa: ſupplex tibi patria, foci, araeque penatium ſupplicant, tenduntque manus, ne inani tua opinione hæc nobiliſſima ceruix funeſto donetur uictima lictori, ne cruore tuo madeſcat ſolum, lugeatque rurſus Cleopatrae ruinas, & miſerabile faſtum Aegyptus: nemo tibi aſtrorum in fulgore locum negat, ne-

mo in

mo in cella Iouis: uiciſti: iam tumida graderis. iam tendis ad Olympum: moderare uictoriam: unum uincentis hoc decus, cetera fortunae uis, fatique poteſtas rapiunt: pugnandum dehinc, ſi obſtinata perſeueras inexſecrabili ſententia, non lingua, ſed ferro. illa mulierum acies, & pugna, haec uirorum erit: qui foedera, & pacem neſcit, qui ſpernit, nec Martem habebit pium. Tunc Virgo, amare ſubridens: Bellandum eſt, inquit, Auguſte: pax cum dijs nulla placet: deſine tu blanditijs labefactare uirtutem. doloſa mens haud ſcelere caret. habet me Chriſtus ſponſam: ipſe mihi parens,& ſponſus,ipſe deliciae, gloria, amor, opes, & delectatio: dum illius animo decora euoluo, incredibiliter illius flagro amore,langueo cupiditate: iam illi fidē,& dexteram obligaui,eius apud ſigna iuraui, profeſſa militiam aduerſus inferos, quorum tu ductor, ut mihi hodie uideris, exſiſtis: profeſſa etiam uirginitatem, non deſciſcam,non praelij aleā ſubterfugiam, omnis licet in me uis exſurgat Romana, petantque nudata pectora Cydonum, Parthorumque ſagittae,fodiantque Sariſſae Macedonum: mihi plures perferenti cruciatus haud incerte duplicabitur merces: inter aduerſa deprehenditur amor: in felicitate exiguum amicitiae meritum, & amoris: non uulnera, morteſque pauet Romana iuuentus, quo ciuicis, muralibus, uallaribuſque coronis effulgeat, quo in ſe ciuium ora trahat, quo ue inſigni trophaeo penates exornet: nec Chriſtiani in iuſtiſſimo praelio ob iuſtiſſimam cauſſam ſigna, aciemque deſerent, Imperatoriſue ſui Imperatorum, Regumque Regis gloriam indefenſam, atque abiectam relinquent. Quibus auditis, Maximinus, furore ſuccenſus, iubet nudatam alligari equuleo Virginem, ferreiſque ſcorpionibus diriſſime, immaniſsimeque concidi. abrepta illico purpura, ſublatiſque ueſtibus, oſtentatus populo candor, oſtentata quae dedecent oculos, altiſsimo

ſtupore concuſsis omnium animis in excellentiſsima, atque admirabili pulchritudine. Nuda Virgo, ſubſtrictis pedibus, colligatisque fune bracchijs, in tenella carne tumente liuore, dirisque funium notis, ſuſpenditur in equuleum, inde caepta uerberari. Obtremuere primum ad impetum in intentandis ictibus lictorum manus, horruereque ſcelus auerſantium dira imperia, & funeſta. mouerat quippe uel in ferreis percuſſorum pectoribus, aſſuetisque caedibus, miſerationem aetas, forma, dignatio, & innocentia. Saepe excuſſae manibus uirgae, ſaepe incaſſum effuſae,& ſi corpus attentaſſent,exiguam inferre plagam, quamquam tenella membra uel leuiſsimo ictu mortifere ſauciabantur. Sed Maximinus, ſcelere audax, in iracundia perſeuerans, temulentus, impius, acerbe Virginis cruciari conſtantia, admirari decora, ſuſpirare, inardeſcere, uictum ſe, & ſpretum indigniſsime ferēs, uerbis miniſtros compellat, urget, iubet immaniter rebellem diuexari. pauidi ad uocem, & ſupercilium Principis miniſtri, poſtpoſita humanitate, miſerationeque, caeco impetu auerſum corpus petere,ingeminareque uires: concrepitabant uirgae, ſonitumque repercuſsi reddere ſcorpiones, ſcindi nates, & femora, tundi uterus, conuulnerari pectora, rapide proruere extemplo ſanguis madefacta humo, ſciſſaque cutis, & carnis fruſtula horribiliter dependere, aut auulſa miſceri cruori, triſtibus omnium animis, uix cohibito fletu Tyranni ob metum. Dirus Imperator inter Virginis cruciatus cachinnari, haud ſincere tamen gaudium ſentiens, quandoquidem cruentiſsima, libidinoſiſsimaque bellua integram,uiuentemque Virginem paratam Veneri & amplexibus non caeſam uelle, idque Veneri,ſuarum fautrici cupidinum, & ſpoliatrici caſtitatis obijcere, quod ſe in elato aduerſariae ſupercilio, faſtuque non amice torqueret; alteram Helenam, Cleopatramque, immo clariorem ut uirginem

ſibi

ſibi oſtentatam ad poenam, datam in manus ad ſupplicium dicens. At Catharina, uerſa ad caelum luce, intente Chriſtum apprecari, ad tolerandam poenam, & ignominiam uti tribueret uires, atque conſtantiam, iamque eum praeſeferre habitum oris ita laeti, excelſique, ut minari, inſultareq. Tyranno uideretur, nõ gemere ad ictus, non detorquere corpus, non trepide ſtare, non denique flectere ad preces animum, aut in abiecta deiicere: omnia auguſtiſsima in Virgine uiſa. Sic detritam Virginem Tyrannus obſcuriſsimo adſtringit multũ ad ima defoſſo carcere, ſqualẽti undiq. pariete, nitrumq. ſudante, abnegatis per xij. dies alimentis, appoſita etiã cuſtodia. ipſe, cũ magna equitũ manu, & nõ exiguo ariolorum comitatu, Canopicum ad oſtium, cxx. ſtadiis ab Alexandria diſtans proficiſcitur, Serapidi ſacrificaturus, exſoluturusq. Herculi ad Heraclium uota, captaturusque auguria, & omina belli, quod ſummis uiribus per Aſiam aduerſus Maxentium, Conſtantinumque apparabatur; ſimulque inſpectùrus multitudinem eo per foſſam Alexãdria decurrentium, etſi ſuperſtitioſum animum cupido uexaret uidendi Caſij templum Iouis, magnique buſta Pompeij, ut clariſſimo Romanorum Imperatorum magnifice parẽtaret, Hadrianum Caeſarem aemulaturus. Sed Catharina, cariſſima Deo, haud plagarum, famiſque ſenſit acerbitatem, & tenebras. diuina clementia euincitur Maximini crudelitas: miſſi quippe Angeli ſplendidiſſimis collucentes facibus expulere tenebras, curauereque Virginis corpus, ſimulque alba columba (nihil felicius augurium, aut dignius ſimplicitate, amoreque Virginis erga Chriſtum) apportato cibo, depulſo ieiunio, fameque expleta, reficere, recreareque afflictam. Interea ſecreta thalami, parsq. regiae a Caeſare potior interrupta quiete fauſtiſſimo augurio ad ingentia exciri, abiectoq. purpurae fulgore non pauide proruere in ferrũ, & dare ceruicem.

uicem. Etenim Fauſtina Auguſta (ita uocant huius au-ctores hiſtoriae, profecto apud ueteres, grauesque Romanarum rerum ſcriptores duas dumtaxat Fauſtinas reperies, Antonini Pij uxorem, & alteram Marci Aurelij, utramque inter diuas relatam gentilium ſuperſtitione) moribus eximiis, caſtiſſimisque, mira pietate, & grauitate uiro abſimilis illius ferociã ſaepe inter oſcula, amplexusque demulcens, molliensque prurientem in ſtrages animum, aut inconſulta decreta, queis per temulentiam euulgatis non proſpera, & laeta ſubditis inferebantur, reſcindens pertaeſa uiri libidinem, inſatiatamq. uenerem, ſimulque diritatem, ignobilitatemq. abhorrens, in nouo Virginis certamine concuſſo pietate animo uidendae, alloquendaeque in ſpem, & cupidinem ingentem rapi Virginis, ſimulque dexterae iungendae, quippe quae uiri aſtutia, ne ſuſpicio iuuenili in animo ex admiranda, inuſitataque Catharinae pulchritudine oboriretur, Auguſtae oculis fuerat ſubtracta. Sed Auguſtae pectus, praeter muliebrem cupidinem, res nouas anhelantem, & clariſſimum Catharinae nomen, dignitatem, gloriam, commiſſique certaminis magnitudinem, nouitas ſomnij, & ſpecies mire quatere: uerum in ipſo deſiderio cõterretur furioſa uiri mẽte, & praepropera in caedem crudelibus iuſſis, & rei difficultatibus, non audet alicui aperire cupiditatem, omnia ſuſpecta, & infida in aula credens, ſed aegreſcens animo per uaria cogitationum inuolucra decurrere, agitare uiam explendae cupidinis, mentemque ad prouida interdum, audacia, & ardua erigere, aut in timida deuoluere, gemina poena coanguſtatur, geminoque ictu confoditur. His Auguſta inhaerente cogitationibus, ad eam ſalutandam de more Porphyrius intrat, uir inter Romanos (etſi neſcio quid Syriaci potius, ac Phoenicij, quam Romani hoc nomen redolere uideatur, uerũ inuaſerat barbaries patritia no-

mina,

mina, & circumuallauerat curiam corruptis moribus, & polluta indigenarum nobilitate) non obſcurus, factis illuſtris, manu egregius, & in iuuenili aetate conſilio non ignobilis, marte acerrimus, ingenio placidus, alterius ſecreta recondens, ſua non promens, Auguſto carus, militibus acceptiſſimus, apud populum, Auguſtamq. gratioſus, hic ad Regiam acceſſerat ab Auguſto ad ſacrificia excitus, decoratusque Praetoriana praefectura: hunc benigne Auguſta exceptum, poſt ſalutem ſic affatur: fides tua, Porphyri, & egregia uirtus, magnisque ſaepe in rebus ſpectata grauitas nō inuitis arcana nobis tecum participanda eliciunt: grauiter profecto erraremus, non mediocrem fidelitati tuae inurentes notam, ſi, quae dicturae ſumus, tibi celaſſemus. magnum amicitiae argumentum eſt, in communi fortuna, ſeu fauſta, triſtiue nō ſeiungere conſilia: probe quoque noſcimus, in communicandis ſecretis obligari enunciantis fidem, & uitam. At nobis de te illud certum, atque exploratum eſt, capi humanitate potius, (ut nobilem & Romanum decet animum) quam timore non diuturni magiſtro officij. ceterum in ſincera fide, & in magna cupiditate parcendum loquacitati eſt: alto ab exordio retexuimus orationem, quo extrema facillima ſint. Dudum, Porphyri, poſtquā recens haec Diana, (ſic quippe, qui uiderunt, retulere nobis, neque enim tantae pulchritudini, maieſtatique humanam ſufficere collationem aſſerunt) hanc Regiam ſplendore, & gloria compleuit ſui, ingens nos cupiditas, inuſitatusque ardor attingendae Virginis dexterae, decurrendiq. ad oſcula inceſsit: fuimus timore cohibitae: fregit iſtam cupiditatem, optatiſsimumque uotū immanis Tyranni audacia, citusque ad arma furor: at, poſtquam accepimus ipſius ex ore Tyranni, per iram, oſcitantiam, ac temulentiā id uel inuite proloquentis, praeclariſsimam Virginis aduerſus Graeciam uictoriā, in tormen-

mentiſque Regiam cōſtantiam, acrius deſiderium nobis accenſum eſt, intolerandus ſtimulus additus: nocte etiā hac praeterita uidimus ipſam (res mirabilis) per uiſum puellam, auguſtiſsime, ſplendidiſsimeque ueſtitam, celeberrimo, ſacratiſsimoque ſedentem in Virginum coetu, aſtanteq. circa candidatorum electiſsima pube: cumque intueri faciem Virginis, & legere decora optaremus, ſcintillante fulgore perſtricta oculorum acie, hebeſcenteque uetabamur, uidebamurque uocari ad oſcula, ſediſſe etiam ad latus, non leui in nos fauore collato, quippe quae ſua manu auream ceruici adaptarat coronam, cum proximis ſermonem ciens, nos quoque reſpectans, alloquensque, Haec tibi, Auguſta, a Ieſu Chriſto corona donatur. Ob id neque pacem pati, nec capeſſere quietem, nec frui cibo poſſumus: euictae ſumus: euaſtamur cupiditate: ſuauiter, & turbide ſimul raptamur in uota: alte pectus uiſu premitur noſtrum, ſeu id Deus ſuadet, ſeu fata uolunt: ſatisfaciundum nobis eſt, ſequatur poſtmodum (ſi ſuperis placet) omne malum: ſatius in uno uexari, quam perenniter diſtrahi: ſit nobis Catharina in amplexibus: reliquum fata trahant. Porphyrius demiſſe adoratae non cunctanter, inſcitaeque pollicetur Auguſtae, in omnes ſe caſus, & pericula pro ea iturum, paratum ſe eſſe ad iuſſa, etſi ardua res ſit: implenda ad uota pecunia opus eſſe: hanc haud parce ab ſe diſsipatū iri inter milites refert. Auguſta, promiſsis laeta, miris laudibus commendatum iuuenem ab ſe dimittit, rogat ut quantocius rem perficiat. Porphyrius, emollito pecunia Centurione, dimotoque praeſidio, ad primam uigiliam in carcerem Auguſtam per manus trahens, eluſis ancillis, reputantibus in thalamo captantem quietem dominam, tacitus comitatur. ad ipſum carceris ingreſſum, prope limen, micātis repercuſsi fulgore lucis ambo exanimati procidere, miraque naribus hauſta odorum ſua-

uitate

uitate alleuantur a Virgine, iuſſi benigne, feliciterque ſperare. mox, cum ſediſsent, ſplendidiſſimo haerentes Virginis ori contemplabantur laureatum uirginum agmen, & Angelos Virginis ulcera linientes, curantésque, ſimulque quatuor, & uiginti ſapientes ex his, quos Catharinae religio debellarat, ſtraueratque eloquentia. Attoniti ergo, non fari, non mouere corpus, non deflectere a Virgine lucem, contemplandoque hiſcere. At Virgo, clementer affata Auguſtam, praenuntiat, intra triduum ipſam euolaturam ad caelum, uidere iam ſe in illa Dei benignitatem, roremque ſalutis, conſpicere coronam alte in caput ex Angelorum dependentem manibus, Auguſtam non alia decere, afferret modo animos, & pectora magnitudini paria certaminis, ne horreret fulmineum Auguſti uultum, non praeferuidas iras, reſpueret infandos amplexus, & pollutos caedibus animos, & os crudele, uerteret ad ſuperos animam, affigeret Chriſto mentē, illum amarêt, illum ueneraretur, illius exoptaret amplexus: plures iam in orbe Romano eſse Auguſtas, magnitudine opum, & gloria pulchritudinis, & ſapientia, comitateque (quae fluxa, & leuia omnia) pares, omnes poſse ab ea ſuperari, ſi praeferret immani Tyranno piiſſime regnantem IESVM, eiusque nomen fateretur: egere quidem mortalem illius adminiculo ad uirtutem, & gloriam: at, ſi modo animum praebeat inſtructum, paratumque, ſenſurum auxilium, & ardorem, mortisque contemptum, elate, facundeque explicare. Breuiter reſponſum, & ſapienter ab Auguſta, non eunte infitias timeri ab ſe uirum, petere tamen demiſſe, ut ipſa Virgo, tam cara Deo, ſe precibus adiuuaret, conciliaretque numini. Tunc Dux Romanus, recollecto animo, fidenter quaerere a Virgine, quibus praemiorum generibus, quibuſue coronis, uel dignitatibus a Chriſto milites exornentur, quae illis ſtatuta merces, quae ſtipendia, quae

poſt claſsica quies, & otium, qui uictoriarum fructus: nam, ſi ampliora Cõſularibus faſcibus redderentur, abiecto Auguſti Sacramento, daturum confeſtim ſe Chriſto nomen, iuraturumque ad ſigna, militaturum, pugnaturum, occaſurumque pro illius gloria, imperioque, modo ipſa Principatus enudaret opes, praeberet uadimonium, ne deciperet, annuit. ſatisfactum hac quoque in parte Romano, connumeratis (quantum ſinebant temporis anguſtiae) Chriſti opibus, magnificentia, ſplendore, ac felicitate. Cum ad quartam uigiliam in Praetorio, obſtrepente tuba, inuita a Virginis complexu Auguſta diuellitur, diu quippe collo inhaerẽs cum lacrymis oſculari labia, oculos, & mammas ſuauiter lambere, patefacere Virgini (quantum licebat per externa ſigna) amorem ſuum, ardoremque. Dux acceptam Virginis dextram uenerabundus attigit. ambo mox in Praetoriũ per Pſeudothyrum regrediuntur: ſed diſpoſitae per porticum diligẽtia, iuſſuque Porphyrij equitum ſtationi res celari non potuit: quiſque modeſte, & auide quaerere a Porphyrio, rogareque Auguſtam, (cum manſuetudine, & comitate mulieris quiſque notus inuitaretur ad libere proloquendum) ut expromerent, quo perrexiſſent, ubi fuiſſent, quid ue egiſſent. Sed, Auguſta, gynecaeum ingreſſa, Porphyrius, cui id imperatum erat ab Auguſta, (cum trahere moram aduenіens aurora nõ ſineret, nec honeſtas) accepto de ſilentio iureiurando, rem omnibus aperuit, hortatus, ut idem ipſi facerent, ſequerenturque ſe Ducem, non ſpernerent conſilium, quod alias ipſi non infeliciter aduerſus Arabas, Blemyos, barbaroſque eſſent experti, in hoc profecto utiliſſimum. Omnes, actis gratiis, repente Chriſtianos ſe eſſe fatentur, ſecuturi Ducem omni in re, uel aduerſus Caeſarem, ſi placeret defendi armis religionem; nec ſe Britannicis, Gallicaniſque copiis inferiores eſſe oſtendunt, quas inuictiſſimus regeret Cõſtantinus

tinus, Conſtantij, & Helenae filius, non hoſtis, infeſtuſque rei Chriſtianae aut Chriſtianorum ritibus, ſed fautor eorum religionis, & regnator eximius. Dux, laudatis equitibus, celebrataque animi magnitudine, alacritateque, iubet quietos eſſe, non egere ferro Chriſti religionem; ſatis eſſe animos, & pectora, addens. Nocte, quae XII. claudebat diem, Chriſtus, cum caeleſtibus agminibus, aulaeque apparatu, anhelanti Virgini amplexus, ſplendidiſſimum ſe exhibuit, confirmans puellam, excitanſque in reliquum certamen, profuſe auxiliũ, & opem pollicitus. Ad tantam lucẽ, beatiſsimumque adſpectum ſubſternit ſe ſolo Virgo, pedibus regnantis aduoluitur, piiſſime adorat, agit gratias, nimis ſe felicem, nimis beatam ſe praedicans ob tam ſingulare beneficiũ, minimam ſe ancillarum, & ſeruientium eius benignitate euectam in faſtigium, adſcriptamq. non gregariis cohortibus, ſed inter principia donatam religioſiſſime teſtans. Interim Maximinus Nicopoli, xxx. ab Alexandria ſtudiis ſeiuncta, (hoc in loco ſuperioribus ſaeculis Octauius Caeſar proruentem cum equitatu Antonium in arma e Cleopatrae ſinu, deliciiſque emergentem repulerat) Alexandriam laetus, quaſi fauſtiſſima captaſſet omina, ſub noctem intrat, non tamen Virgini mitigatus. ſubſequenti enim die, clara uix luce mandat abduci a cuſtodia Virginem, ſiſtique ante tribunal: cuius cum effulgentiſſimam faciem, membraque integerrima contemplatus eſſet, in furorem, & iram incitatus, euibrare chlamydem, quatere curulem, minaciſſime ſtrepere, minitarique cuſtodiis, quos abſque mora diuerſis, acerbiſſimiſque mactari ſuppliciis iubet. Crediderat quippe Tyrannus, poſt illã diuturnam famem, ſqualorem carceris, & fetorem, ſtationemque temporis, & tormẽta, queis Virginis decus depopulari curarat, Virginem aut uita functam, aut pallidam, & exſanguem, & macie foedam, confectamq. uul-

neribus, uix trahentem ſpiritum neceſſario faſſuram errores, formidaturamque poteſtatem, ac deſcenſuram in preces. Quamobrem ſua deceptus ſpe uerterat animum ad ſupplicia cuſtodum, quaſi ipſi, labefactati pecunia, cibaria Virgini ſubminiſtraſsent. Sed, ne alij ſua torquerentur cauſsa, Catharinae uel inuitae, fauor arcanae medicinae, caeleſtiſque cibi confeſſio extorquetur, precanti Auguſtum, ne innoxiorũ ſuppliciis graſsaretur improuide, & ſine cauſsa. Tunc Caeſar, ne prorſus ab omni humanitate alienus uideretur, placiturusque puellae, cuius libens oppugnabat religionem, inuitus, nolensque laudabat, anhelabatque pulchritudinem, placido uerſus ad Virginem ore, ignoſcere ſe cuſtodibus, & ſatis ſe ei credere, ſimulq. rogare illam, ut promeret, quae ei cordi eſſent, referret, utrum illi fatũ, & cruciatus, an lux, & aura placerent? Si priori decreto inſiſteret, ne cunctaretur; ſi poſteriorẽ ſententiã amplexaretur, procideret ante Iouẽ, Bellonãque, ſupplicaretq. diis, annuens. Irriſus a Catharina, non ab alio, quam a Chriſto, ſperante uitã, contemnenteq. deos, & minas, mortem quoque inter felicia annumerante. Feruere iam pectora Auguſti, emicare ab oculis ira, motuque corporis horribili, inſanis, uaſtiſque uocibus Regia quati cum pauore audientium: nemo indignantis frontem, toruumque ſupercilium, nemo oris ignem impauide reſpicere: quiſque attonitus trepidare; ita furentem Auguſtum, coquentemque acerbiſſimum Virgini occaſum funeſtiora alterius inflammauere dicta. Acceſſerat namque ad aulam quidam barbarus, Curſaſades nomine, praepoſitus Alexandrinae Vrbi, homo ferox, immitis, caedibus laetus, Marte illuſtris, pace nefarius, grauis, intolerandus. hic, tumentem ira Auguſtum cernens, capaturus gratiam, ſatisfacturusque & propriae, & alterius diritati, in uaſta corporis proceritate, moleque immani membrorum torue cum ſtomacho in-

intuens Auguſtum, exclamat, indigniſſimum eſſe, & iam nefas Romanae maieſtati, tamdiu ancipiti Marte cum fe mella certare, formidareque extrema caſuum: quae non Perſepolis, ac Suſa auderent, à Virguncula iam fieri, cum deriſu Auguſtalis diadematis: permitteret ſibi rem, concederet iſtum puluerem, haud tripudiaturam, riſuramue in periculo Virginem: barbarum ſe equidem eſſe, non ceſſurum tamen Perilli ingenio, artibusque, arroganter praedicat. Accepta a Caeſare facultate, iubet intra triduũ obuerſas inter ſe rotas unica ſubſtrictas fibula, praeacutis undique mucronibus, electaque ferri acie conſtipatas fieri, & diligentiſſime, ſciteque fabricari. hae funibus, laxatisque ponderibus citiſsimo euolui curſu, cum ſtridore infauſto, & horribili. Elapſo biduo, omnis multitudo in Regiam concurrit, ueluti Olympica, aut Gymnica, & Neptunia uiſura ſpectacula, aut Megaleſia ludos, Circenſesque, aut Saeculares. cingitur electiſsima militum manu locus: in medio feralis machina ſtatuitur, lata, ſublimisque, collem aequans. Concuſsi pauore omnium animi, ſtrata pectora, oborta pietas, & lacrymae: nullum tale apud maiores ſupplicium uiſum nec in diriſsimis facinoribus, & nunc in Romana lenitate, praeclariſsimae Virgini, quod amaret caſtitatem, quod Chriſtum coleret irrogari teſtantium. Auguſtus in xyſto, cum nobiliſsimis, Curſaſadis celebrare induſtriam, & laudare conſilium. Auguſta, ex aduerſo Caeſaris curulis, per hiantes feneſtrae rimas, unica cum ancilla ſibi fidiſsima, anxie circumſpicere, miſereſcere Virginis, fundens lacrymas, operiensque exitum. Acceſitur Catharina: trahitur lictorum manibus, accelerantium greſſum ad libidinem Caeſaris: ſiſtitur in atrio: agitatur in oculis ad incutiendum terrorem diriſsimum machinamentum; rurſus de colendis dijs, abnegandoque Chriſto interrogatur: fortiſsime in propoſito perſeuerans, nudatur,

tur, euincitur, imponitur machinae inter duarum ſpatiũ rotarum, ita, ut priori caput, os, pectus, uenterque, poſteriori rota renes, clunesque dilacerarentur, ipſa non pauida, aut tremente, ſed pie Chriſtum obteſtante, ne Caeſaris inſana crudelitas expleretur, frangerenturque terribili machinamento piorũ animi: patefaceret potentiam ſuam tuendis in ſeruis, aperiret caecorum oculos, pelleret tenebras: non ab ſe timeri poenas, non occaſum, ſibi uiuendum in ipſo, & moriendum pro ipſo iampridẽ uotum eſſe, aſſerente: ſi expediret, ſi conduceret animae ſaluti, ſi maieſtati placeret, effringeret, diſsiparetque uiolentiſsimum terrorem. Iamque non pia claſsicum cõcinens carnificum ad opus incitabat manus, animosque; iamque illi, accepto ſigno, non ſegniter torquere funes, emittebantque pondera, & machinam circumuertere, cum illico frangi nubes, diſcindi caelum, luxque ingens effulgurare, quatique aura uiſa, Angelusque ad id electus, radijs undique, terroreque circumdatus, caeleſtẽ ſtringens gladium, cum inuſitato fragore, fulminis inſtar, ligneam impetijt molem, contriuitque fibulas diſiecto opere, diſſoluitque Virginem nihil laeſam. ſaeua ſtrages circum oritur, miſtis ſingultibus, multis occiſis, detritiſque globorum, fruſtulorumque uiolentia. Intremuit ad Angelicum ictum ſolum, concuſſa regiae faſtigia, ac tabulata, fractae Praetorij feneſtrae, alliſi parietibus humani artus irrorante cruore, cum omnium ſtupore, & formidine. conclamatum in Vrbe ad arma: ſublatum ad caelum Chriſti nomen: omnesque fere Alexandrini circa Praetorium ſtrepere, facturi uim, ſi praebuiſſet fortuna Ducem, &, ſi priſtina Ciuitati maieſtas ſtetiſſet, non incerte rebellatum eſſet a Caeſare: iacta tamen in illum conuicia, & maledicta in miniſtros. Caeſar, in re ſubita, & inſperata pauidus, non tamen leniens iram, acerbiſsime infremere, addito ingenti truci animae uulnere,

a toro

a toro caepta rebelliõne. Auguſta enim, ad tanti prodi gij ſpectaculum animoſior facta, credensque non ſine nu mine augeri rem Chriſtianam, caelitusque defendi, obdurat mucronibus pectus, ultro ſe diſcrimini offert, in frequentiſsimo conuentu, dum Alexandria trepidat, dũ arma rapit, dum Virginis ulciſci parat iniuriam,dum om nia prodigij admiratio, terrorque concutiunt, generoſe alta uoce Tyrannum compellat, accuſat impietatis,dam natque immane in Virginem nefas,obijcit omnes diritates, queis in ſumma poteſtate Romanum nomen defoederat, remque publicam perditum ierat, fruſtraque illũ aduerſus ſuperos ſtare, inſultareque docet. Maximinus, ad uxoris audaciam ſella proſiliens,repercuſſis manibus, plenus irarum, ſpumans,& ſupra humanum turgidus mo dum, minatur uxori necem, oſtentat gladium,niſi ſuper ſtitionem deponat, ni tutelam Virginis deſerat, ni dijs, ut aſſolet, ſacrificet, capeſſatque imperata, & iuſtiſſima in Virginem, Chriſtianosque decreta ſupplicia affirmet; ſimulque tori ſplendorem tueatur, impleatque coniugis officium. ferociter contra tendenti Auguſtae amputari diriter mammas, abſcindique ceruicem, & cadauer cani bus, alitibusque donari iubet. illico abripitur, non permittitur diuturnã cum Virgine ultro adhortante moram trahere, non amplecti, non ſtringere, non oſculari: ſed uoces praecidi non potuere, egregie quippe Virginis inflmmata adhortationibus promiſſisque, extra moenia Necropolim ad buſta Alexandrinorum (Vrbis is locus eſt, non longe a Ciboto portu) laeta proficiſcitur,ducente Porphyrio cum praetorianis cohortibus honoris ergo, & ſi miles libere in Praetorio uoces emitteret aduerſus Caeſarem truces, Auguſtae fauſtas,nobis nõ infeſtas. Etenim Porphyrius, ex animo Chriſtianus, Auguſto inſenſus, pertaeſus iam crudelitatẽ, & ignauiã hominis, id munus ſibi deſumpſerat,ut praebita occaſione, ederet a-

liquod

liquod pro Chriſto facinus, ſimul etiam in ſolatium Auguſtae, in itinere alter alterius uicem dolere, & ſe inuicem fraterno amore, & benignitate ſolari. at Auguſta, datis ſecretis Porphyrio mandatis, atque ad Virginem tranſmiſſis ſalutationibus, nō indigne, poſt mammarum euulſionem, ferrum gutture excepit IX.Kal.Decembris. Eius corpus, aduenientibus tenebris, Porphyrius, cum ſociis, pie unguentis delibutum honorifice tumulauit, dato oſculo, & lacrymis. Maximinus, poſtera die, in ſilentio Palatij, & uiduitate tori, maeroreque aulae, uertit animum in Virginis pulchritudinem: ducit eam dignam imperio,& faſcibus, dignam thalamo: accenditur acri, & uehementi uenere, exaeſtuat prurigine, inſanit, dum conſtantiam, dum generoſitatem, & decora Virginis ante oculos ſibi proponit, optat in ſubactis puellae membris trophaeum erigere, homo impurus, id in gloria, & fama ponens: ſperat, non difficulter ſuae illam aſſenſuram uoluntati, ſublata iam Auguſta, ueluti aemula, impatiente ſocietatis toro. Sed, rurſus Virginis ferociam, indomitumque uigorem, & in tergemina pugna uictoriam reuoluens, molliter hebeſcere, & de uictoria paene diffidere. Sed, dum circa Virginem cogitatu cum ſpe ludit, reminiſcitur Auguſtae, damnat infelices taedas, inuehitur in mortuam, memoriam auerſatur, furit in cadauer, de eo diligenter perquirit, mandat leonum inediae, dentibusque concedi; non inuento (ut innotuit) minaciſſime ſtridere. Ergo ſterni multorum corpora, nemini ad Necropolim Suburbanorum parci, omnia ſanguine commaculari iubet. Eliguntur ad tantum nefas, detrectante Romana manu, ſtipendiariae barbarorū alae, cohorteſque, duce Curſaſate mortalium omnium crudeliſſimo: datur in Praetorio teſſera: uellunt a parietibus ferrum barbari, lacertiſque tela uibrantes, pulſanteſque umbonibus arma diriſſime ululare, omnibus iam

eſſe

eſſe terrori. Tunc Porphyrius, uaeſanum Caeſaris conſilium cernens, ne litarentur innoxij, pro Chriſto iam pugnaturus, ferociſſime, elatiſſimeque Caeſarem alloquitur, non pauet taxare temeritatis, & obiectare crudelitatem, tumulatam ab ſe Auguſtam, & data parentalia: feciſſe id iam fateri, ponere in ſumma exiſtimatione, militiae cingulo ſe non amplius indigere: capeſſeret illud, conceſſos reciperet faſces, & arma, Chriſto ſe iam militare, & militaturum: non imbellem dexteram fore, non uiles animos: omnem ab ſe ſperni, & derideri uictoriarum palmam: animaduerſurum ipſum, quanta ab ſe ferocia, & animi praeſtantia propter Chriſtianam pietatem exceptum iri certamen, ſi ceruicem uellet, ſi in membra mucronem acueret, ſi produceret feras, pararetque rogum, & pyram, cur cunctaretur? Cum obſtinato non ualituta uerba, uiſuram ſpectaculum Alexandriam non indignum conditore, decentiſſimum Romano, ob id ſibi paullulum ingeri angoris, non in Vrbe ante roſtra, & Capitolium occidere, ante ora Senatus, ut quiſque ſciret Chriſtianam pietatem uel uſurae uitae anteponendam, ſimulque ut ipſe in Tarpeio Iuppiter tonans ſui in ludibrium Romanum hominem uideret praeſtantiſsime morientem. Sed uirtutem ubique terrarum ſuo eſſe contentam praeconio, laetari praeterea, hoc non celatum iri facinus Maxentio, alteri portento, cladique, ac peſti Reipublicae, praegnantium rimanti mulierum fibras, extaque infantium ad geminandam inuidiam; nec Conſtantino, Licinioque, clariſsimis Auguſtis, per barbarorum ſanguinem, ſtragesque uolutatis, ad ulciſcendam iniuriã, orbemque Romanũ ab immaniſsimorum tyrannide portentorum liberandum, dicebat. Effuſus a Caeſare ingẽs gemitus, maledicto aſtra, dijque laceſsiti, quod in eam fortunam, concurſumque calamitatum florentiſsimae aetatis annos, & exordia imperii conieciſſent ſui. Statim

ex Tyranni imperatis iniecta ſocijs uincula, fruſtraq u e uerbis attentati ſecuri deſtinantur: a Porphyrio propter hominis dignitatem, clariſsimamque famam, ſeu ad mitigandam ferociam ſumma lenitate, ſeu metu tumultus, ne legiones ſociatis cum oppidanis uiribus arma caperent, repulſa uis. Sed Porphyrius, audacior, fortiorque inter Tyranni ſimulationem, & dolos, ueritus ne ſui languidis animis proelium capeſſerent, nutarentue, aut diſcriminis procellam horrerent, oſtendit Auguſto fruſtra diſcindi membra ſalua ceruice, ſe, ſi quid diriter auderet, ſi quid cuperet, mactaret reliquorum ductorem, cohortatoremque. Quaeſita mors iuueni ob pietatem, non pie a Tyrãno, impulſoribus Peucedio, Quinctiano, & Theotceno, miniſtris libidinum, & facinorum, infenſis Porphyrio ob inſignem uiri uirtutem, conceditur, cc. apud illum commilitonibus eo ipſo die IIX. Kal. Decembris. ferro ſtratis. Noctem eam, quae inſecuta eſt, Tyrannus diriter per inuolucra cogitationum, & inſomnia traduxit, haud quaquam frequentibus diſtentus epulis in ſonitu muſices apud ſcorta, gregesque exoletorum, quippe qui interdum trium aemulatione Caeſarum ad uirtutem uel inuitus reuocari, ne appareret inferior. Oderat ipſe Maxentium, tamquam Seueri ſobrini interfectorem, uictoremque Galerij auunculi; timere Licinium Ducem ſtrenuum, & manu promptiſsimum, Parthicis expeditionibus clarum; admirari Conſtantinum, ueluti inter reliquos indole uirtutum, fauore numinis, generoſitate pectoris, ac clementiae claritate eminentiſsimum, interque uictorias, & trophaea pubeſcentem, cuius non obſcure gloria angi, ſimulque reputabat famam ſui ubique grauem, exagitatamque populorum conuicijs propter temulentiam, ac diritatem. quae firmiter euoluens non immerito ſomno ſpoliabatur. Sed, uix albeſcente caelo, e ſtrato exſurgens, nulli familiarium, atque adeuntium

ſalute reddita, tacitus per xyſtum obambulare, percurrere aulam, teſtem Catharinianae uictoriae, triumphique; inde intrare cubicula, & gynecaeum tortis interdum oculis proſpectare, modo corpus thalamo acclinare, crebro ſuſpiria emittens, tergensque frontem: inde, diu cogitationum fluctibus iactatus, aegreſcensque animo attolli in aula tribunal, & Catharinam uocari iubet, quae cum grauata catenis acceſſiſſet, ingeminato uultus fulgore, Caeſar ad fallendum miniſtris annuit, ut illi catenas detraherent, palmasque exſoluerent,& iuxta ſuggeſtum ſellulam ponerent: deinde,placide intuens ſerenato uultu, conficta laetitia, ita illam alloquitur. Et ſi hoſce per dies tot Alexandria funera uidit, deplorauitque, nec ſicca habuit lumina Delta, attamen hoc tui ad laudem, decusque ex certa fatorum lege fieri dij immortales uoluere: etenim, quid tantae pulchritudinis praeconio non adſcribetur? Cruentis initijs optatiſſima, feliciſſimaque panduntur extrema: uictrix iam, aeternaque per gentium ora decantaberis: &, ne tantis Spartana infletur Spiritibus, ob decus comarum,uultusque Europa Aſiaticis impacta litoribus, ſuisque funerata Troia uiſceribus, habebis iam catenatum Romanum Imperatorem. pauci latrones, & Reguli de Helenae pulchritudine certarunt: anguſtumque Aſiae litus unius Graeci populi ſanguine maduit: at tu, atrociſſimis exempta periculis, caedibusque, trabearum fulgorem calcabis, non iam pellicis impletura locũ, ſed noſtro in gremio cubans, rem Romanam moderaberis, una nobiſcum in Capitolio, Palatioque illata Statoris in ſinum purpuratorum humeris triumphabis. execranda infauſtis nupſit Fauſtina nobis auſpiciis, tulit illa (ut debuit) poenas,tu praemia,& dignitatem. quid maius uel a diis ſperare, puella, queis? Pauci cunas mortales honeſtauere tuas, terrarum orbis faſces, torumque adorauerit, ruet

 in ob-

in obſequia Parthus, non cunctabitur Arabs, Bactra, Ganges & ultima aurora tuae famulentur gemmarũ fulgore caeſariei: non Meroes, non Nilus Catharinam habebit, ſed Tiberis lauabitur undis, Etruſcis ancillantibus Nymphis: in Capitolio tibi uiuenti ſedes,a fato inter ſidera locus erit. nobiliora, acceptioraque haec nobis erunt, quam Muſicana trophaea, aut Hecatompylos laurea: non inuidebimus Iunonem Ioui,aut Vulcano Venerem, ſi tu dextera collum cinxeris noſtrum, ſi os, oculosque ſuauiata beaueris. profecto a diis immortalibus felicitati noſtrae quis non ſummopere tributum putauerit,ſi Maximinus, diuorum generoſa propago, in ſumma tranquillitate Imperij,Catharinae complexibus, iam ipſis conciliatae diis, inhaeſerit? Cleopatra ueſtra,cui immoderati fuere ſpiritus,ſaepe diem iſtam ſomniauit, optauit, expetiit: at a promontorio, Epyreoq. pelago Italiam adſpexit, Romamq. nonniſi mortua, inuitaque intrauit,in ludibrium oſtentata: at tu,auguſtioribus auſpicijs enata, pulchritudine maior, ſapientia excelſior, caſtimonia diuinior, in conſpectu tuo Romanarum genua nuruum plicata uidebis. Age, iam, lux terrarum, capeſſe, quod uenuſtas, & pulchritudo largiuntur, quod fortuna promittit,quod noſtra donant optata,quod nõ ſperat Aegyptus,quod ſuadet facultas,quod dij uolũt: porrige nobis dexteram, pignus amoris, nuptiarumque: aſſentire noſtris placitis: regamus feliciter ſceptra terrarũ, coniuncti corporibus, animisque, una agentes diis immortalibus grates pergamus ad Iſidis: propitiemus Iunonem: uocemusque in uota Venerem. expellatur diuini tandem ſplendore oris omnis ex Praetorio luctus: eluantur ſordes: purgeturque inhabitantibus Fauſtinae manibus aula. omnia iam Catharinae liceant: ipſa imperitet, dummodo diis ne repugnet: iam dies iſta praemiorum, poenarumue iudex erit: inuiſa diis, ni ſacrificaueris,

cauĕris, ni libaueris, ceruix offeretur: omnia in tua poteſtate ſunt: quid eligendum ſit, ipſa conſidera: affare, promeq. tuum nobis animi decretum. tibi aut hodie uiuendum, aut moriendum eſt: tuam ſententiam exſpectamus: interim apprecamur Feretrium uictorem, Phoebum, Martemque & omnes deos, deasque, & ueſtrae felicem Vrbis conditorem, omnesque Pellaeas umbras, ut pectori placida, & tuta tuo conſilia irrorent. Catharina breuiter reſpondit, hoc pridē infixum, cupitumque fuiſſe pro Chriſto ſanguinem profundere, collumque ſecuri obiicere, Chriſtum feliciori in patria uidere, omnes pollicitationes, praemia, ac blanditias ab ſe ſpreta, ſpretumque iri, inuidiſſe ſe iam ſapientibus, inuidiſſe Auguſtae, lectiſſimaeque equitum turmae, fortunatā ob mortem: ſpem nuptiarum, & ſacrificij abiiceret; ferrum, ſi uelit, optetque, ſatiaret cruore. Tunc Maximinus, non occulte faſſus aduerſariae uictoriam, ne iterum turpiſſimo euentu ſuccumberet, cum ludibrio maieſtatis, imperat extra Vrbem uictrici demi caput, & expiari ſic iras, uotaque nefaria, ratus inſignem, gratiſſimamq. diis uictimam fore. At lictores, cohortesque Praetorianae, & maior equitum pars, Catharinam e Caeſaris conſpectu furentis auferunt, & deducunt ad carnificinae locum, maeſtis omnium uultibus, ac triſtibus animis: crederes reuelli Alexandriam ſedibus, omnia caedibus funeſtari, omniumque in fatum ſtrictum Romanorum ferrum. Non ſic Antiochi uallante moenia exercitu, non magni Caeſaris per pinnas fulgurante mucrone, non Vrbem Octauio Auguſto intrante, aut caedente agmina inermium Caracalla; non diruente muros, ſpolianteq. Mauſolaea Diocletiano, tantum maeroris, luctus, lacrymarumque Alexandriae uiſum, quantum Catharinae uadentis ad caedem exciuerat formae praeſtantia, & rara dignitas oris, in tot triumphorum ſplendore. Audierant, legerant-

que ſaepe Ptolemaeorum in thalamis enecatas Reginas, ſororesque, exceperant Cleopatrae interitum inter ſerpentium morſum exſpirantis; ſed prius bacchatae illecebris, molitaeque Capitolio excidium, & ciuilia implicantis bella, inceſtato toro cum ignominia generis, penatiumque, & tamen beſtiarum rabiē refugiſſe a candore pectoris, eboreque mammarum, letaleque in brachij uulnus irritatam, inflammatam, atque abſtractam. Catharinam uero, innocentiſsimam, caſtiſsimamque, ab homine litari, Caeſaris iuſſu rapi ad necem, priuari Alexandriam poſt tot calamitates, hoſtiliſque clamorem incurſus, unica gloria; ipſa iam feritate argui Maximinum ad Aemi natū pruinas, aut Rhodopeia ad ſaxa, educatumque in diri adytis templi ſudantis cruore, ac rabie: nihil in homine humanitatis ineſſe, nihil Romanae fortitudinis: parcituros, ſi ab inferis exſiſterent, decentiſſimae pulchritudini, Solique uenerum uel ipſos Buſyridem, & Cambyſem: placandum unius furorem inſigni uenuſtatę, cremandum alterum non Hammonis parcentem delubris puellarium facibus oculorum, & nunc a Romano Romana ſecuri inferias crudelitati, dirisque tantum mitti decus, tantamque pulchritudinem: exhorrituram hoc Hyrcaniam, deploraturosque infinitam crudelitatem, ſi qui ſunt, Anthropophagos, uel per multam impaſtos diem, flebiliter commemorabant. At Virgo, diuina luce refulgens, dimota per lictorem turba, genibus nixa, ambabus ad caelum palmis ſublatis, ita coepit. Aeternum ſanctorum decus, alme parens rerum, CHRISTE pie tibi gratias ago, quod me inter diuerberata tentationum procellis aequora tuto in portum complexus reducis tui: extende ad me uictricem dexteram, qua Tartari clauſtra effregiſti, quamque pro generis humani ſalute transfixam clauis uoluiſti: amplectere ulnis me tuis: ecce iam pro te ſanguinem profundo: omnia elue ſcelera,

ne

ne quid nefarij horrendum ante ſuggeſtum funeſtiſſima die immitis hoſtis obiiciat: adſcribe me electiſſimis uirginum cohortibus: dele omne nefas: huic quoque populo ſolita tua parce benignitate: perq. immortale nomen tuum, per trophaea, aeternasque uictorias, ſi quid abs te nomine meo petitum fuerit, da rogantibus: concede quoque, clementiſſime CHRISTE, ne quis reuulſae ceruici, truncoque illudat, ne quis nuda membra ab interitu reſpiciat meo: tibi ea dicaui: tua ſunt: defende, caſtitatis auctor, ſponſusque uirginum: nihil horum merui, ſed tuae confido benignitati. Intonuit denſa ex nube uox quatiens ſpectantiũ aures, euocans ad ſuperna uirginẽ, apparatumq. caeleſtis aulae, & laureata obuiã prodeuntia uirginũ agmina, inſtructumq. feliciſſimi torũ auſpicij, gloriaeq. denuntiãs. Tunc Catharina, ſalutatis ſpectatoribus, nõ timidã, viij. Kal. Decẽb. annos duodeuiginti nata, collum ad ictum extẽdit nobilitato Romano ferro, ſanguinis rore cum lacte miſto. Additur famae miraculum. corpus Angelico miniſterio in Synam per auras, in multo muſices ſonitu, dulciſſimoque concentu, deportatur ſcaturiente ex membris eius perenni humore curandis languoribus, morbisque ſalutari, & illuc decurrentiũ pietate noſtrorum nullis aut longiſsimi itineris per barbaras, infeſtasque gentes, aut externi caeli periculis fractorum per Europam circumfertur, oſtentaturque, iamque uertice in ipſo Synae edi nocturnas uoces, & diuina cani, circumferrique omni immortalitate maiora fama eſt. Ob id Iuſtinianus, ex ſorore Iuſtini nepos, poſt Parthica bella, ac lauream Gothicam, ſpoliaque Vandalica, ad ima montis templum in Deiparae erexit honorem, additã etiam ualidiſsima arce ad compeſcendos barbarorumm impetus, per eas ſolitudines nimis temere, audaciterque euagantium, collocata ibi militũ ſtatione ad Monachorum, qui ob pietatem, profeſsi caſtitatem, & pau-

pertatem ibi degebant, praeſidium. At apud Euſebium Caeſarienſem, non ignobilem illorum temporum ſcriptorem, non modo tantae geſta uictricis, ſed ne nomen quidem faſtis adſcriptum reperitur, licet memoretur ab eo puella qnaedam inaeſtimabilis pulchritudinis, clariſsimi nominis, maximarumque opum, a Maximino in exilium pulſa, occupatis fortunis, taeterrima illa crudelitate uultus fulgore proſtrata. En, Arrij fautor, & a Pamphili Martyris, in cuius cognomen tranſierat, fortitudine degener, quanta Graeco nobis liuore ſubtraxit reuolutus in laudem ſuorum, atque potentum, Romano tacite culmini iraſcens uel Magni Conſtantini rebus in Italia, urbeque geſtis ingrato ſilentio ſuppreſsis in Boſphori decus, famamque? nec ſatis hoc furenti Caeſarienſi uiſum, niſi ſanctum pectus, religionis domicilium, aramque numinis inuſtis impietatis notis foede cruentaſſet. ſecutus eſt Procopius, & ipſe Caeſarienſis, haud Euſebio innocentior, cui in libello (quem de Iuſtiniani aedificijs inſcripſit, Moſem, Synam, & miracula memorans) ignota penitus eſt Catharina, ni fortaſſe tantae ſe Diuae nondũ mortalium oculis ingerente fulgore beatitudinis ignarus ſuae, caligansque oſcitaret Oriens malis ſuis ſemper indormiens. Graeci primum Aſiatici uulgauere nomen, geſtaque, ac monſtrauere tumulum, accurrere finitimae gentes immẽſis agminibus, haeſitq. tot miraculis Oriẽs. Nouiſsime Europa illato Orientis gentibus bello, recuperandorum ergo Hieroſolymorum audacia, ac pietate Gotthifredi Bolionij, & Boemundi, reliquorumque immortalis memoriae, clariſsimique nominis Principum; uictrix in ſe Virginis nomen, & gloriam traxit, ubique erectis memorijs, ſtatutis aris, conſecratiſque ſacerdotibus, quandoquidem eius auxilio non raro inſurgentem in ſe Perſida, Orientiſque barbariem fregit, debellauitque. Vnde merito abolita apud Aegyptios, Phaenices,

Arabas,

Arabas, Syroſque Chriſtiana pietate, Graeciaque; poſt fractam toties fidem, & abruptam concordiam, poſt ſacrilegia, & diras in ſacrorum cultu miſerrime moriente, apud Latinos noſtri iam facta iuris, clariſſimis exornatur praeconiis, a barbaris ob ſummam fortitudinem, ingenteſque uictorias magnae cognomen, a nobis inconcuſſam pietatem, & digna cognomine uota retulit, & relatura eſt. Vtinã pari Chriſtianae religionis propagandae, illuſtrandaeque flamma noſtrorum Principum animi aeſtuarent, urerenturque. ſentiremus profecto caeleſte auxilium, magnaeq. uictricis patrocinium in ſecuritatem noſtram, barbarorumque excidia, internecioneſque. ſed nos, infelices, ignauo otio obtorpuimus, atque in ambuſtae maieſtatis cineribus, buſtiſque maiorum deſidentes, fumantia proximarum prouinciarum tecta, urbeſq. proſpectamus, cognatarumque gentium aerumnoſos eiulatus excipimus, nec ulla miſericordia, aut decore permouemur. Syna, & Hieroſolyma ſeruientibus, amiſſa Aſia, Africaque, & mortifero ictu ſauciata Europa, libet Chriſtianis Principibus, de dirutis caſtellis, pagiſq. acerrimo Marte, & pluſquam ciuili rabie dimicare? aut frui quiete in communi luctu, ſqualoreque, & ſentire gaudia, ac uoluptates inter cõuiuiorum apparatus, amaenitateſque hortorum? inſtat, urgetque ferociſſimus Turca, & ignauia noſtra terribilis haurit animo, ac ſpe fortunas noſtras, perque Dacorum, Hungarorumque ſanguinem, ſtrageſque uolutatus, Italiae fores quatit, Vaticano inhians, Capitolioque, & nullus interim ex noſtris Ducibus, Regumq. regibus exſtabit Gothifredi, ac Boemundi aemulus? nemoq. proelia domini depugnabit? heu, priſca caritas, ardorque Chriſtiani nominis prolatandi: reſpuimus maiorum certe uirtutes, uitiorum dumtaxat heredes; praealtamq. indolem exſuimus: quantis olim armatorum agminibus Orontem po-

tauimus? quot legionibus, equitatibusque Halym, Euphratem, Tygridemq. traiecimus? quantis claſſibus maria enauigauimus, undasque Colchidos tubarum cantu terruimus? quoties Taurus ſignis noſtris colla ſubmiſit? quoties impalluit Araxes, timuitq. Perſepolis? & nunc, languidi, ac fracti, ciuilia excidia, & funera uoluimus, ructamusque; ac flebiles ſimul Macedoniae, Graeciaeq. uoces, queſtusque exaudimus, ludimusque in Hungarorum calamitatibus, & in Liburnorum, Valeriorumque ruinis, quaſi extra diſcrimina, & aleam poſiti? Tu, Virgo, cariſſima Chriſto, & in barbarico ſolo uel hoſtibus tremenda, deprecare Sponſum, humani generis Saluatorē, ut, noſtra uulnera, aerumnasque, ac Chriſtiani orbis clades miſeratus, renouet in noſtrorum Principum pectoribus ueteres heroas illos Gotthifredos, Boemundos, Vgones, Raymundos, Robertos, Caſtriotas, Coruinosque, propugnacula Catholici nominis, armorumque fulmina; depoſitisq. ciuilibus odiis, irisque, in Turcica bella effundat nulla aeui uetuſtate, aut iniuria obruendos, ſed parto glorioſiſſimo in terris nomine in caeleſtibus regnis cum Chriſto in perpetuum uicturos.

XII

[illegible]

S. VRSVLA XII.

SI Oriens,& immodica ſui laudatrix Graecia, tantis Amazonum res geſtas laudibus extulere, mirata femineos auſus in uiduitate tori, mammaeque aduſtione Martias animas, diuturno uictoriarum curſu Aſiam perterrentes; praeclariori certe ſonitu, certiorique praeconio attollantur Britanniae, celebreturque Rhenus, alterae praeclariſſimae Imperatrici Vrſulae, de qua acturi ſumus, largitrices lucis, ortusque, alter in aceruis bellantium, Martisque fragore aeternae uirtutis fideliſſimus teſtis, miratorque. Verecundantibus ergo, nec hiſcere audentibus Themiſcyra, ac Thermodonte in ſilentio peltarum, Vrſulae, ſociarumque perpetuo uiuentium armatae pietate acies,& pro pietate depugnata certamina decantentur. Britanniae gentes iam pridem belli gloria claras, potentesque primum nobis aperuit magni Caeſaris inuicta,& fortunata audacia, eodem curſu uictoriarum Gallia, Germaniaque concuſſis, calcato Oceano, obtrementeque Hercynia, rebellantes repreſſere alij Caeſares uictorijs, aut cladibus memorabiles, Conſtantino Magno nimia ſua pietate in largiundis Propontidi faſcibus rei Romanae grauiſſimum infligente uulnus nutare rerum ſtatus incaepit, demum poſt infelicia Honorij, Arcadijque tempora ſub Valentiniano iij. Conſtantij Caeſaris, Placidiaeque filio,

lio, tantum rerum faſtigium, fulgentiſſimaque Auguſtorum maieſtas foede procubuere, undique orbe terrarum in Romani nominis excidia concurrente faedum ſeruitium, cladesque uictorum internecione in ſolatium malorum ulturo. tunc & Britanni eodem concuſſi motu par naufragium, fluctusque procidentis quietis ſubiere. cũque ab Aquilone Scotorum, Pictorumque rabie aeternorum hoſtium urgerentur, deſtituti ab Aetio, (cui per eam tempeſtatem Romanum nomen nitebatur, clariſſimo, magnoque duci) Anglorum Saxonum, Vertigernum regem ad opem ferendam accerſunt, ab eoque, depulſo hoſtili metu, ſoli ubertate capto perdomiti bello ex auxiliatore hoſtem, populatoremque patriae ex inſperato nacti, in Anglorum tranſiere nomen certo diſcreti a gente Scotorũ limine haud terminatis iris, odioq. apud finitimos. igitur in parte Britanniae quidã Dionotus imperitabat, Romanis non ignotus, egregie pius, cui Doria erat uxor, pari religione moderationeq. inſignis; his poſt multas preces, & lacrymas, nuncupataque Deo uota, puella nata eſt, quam Vrſulam a ſacro baptiſmate nominarunt. haec adhuc tenella, ſalutaribus parentum monitis, crebrisque ſacrorum librorum lectionibus excitata, inflammataque, IESV CHRISTO caſtitatem uouit, tantamque ſui indolem oſtentauit, ac tantum praeſtantia uiguit ingenij, ac pulchritudinis gloria, ut late per Oceanum, & finitima eius gloriae fama, decorisque euagaretur, tractis in ſpem, & cupidinem tori finitimis regibus, inter quos Hereus potentiſsimi Principis in altera ad Auſtrũ regnantis inſulae parte filius, uiſae nondum puellae amore impatienter exarſit, maximisque a patre precibus obtinuit, ut Vrſulam ſibi matrimonio iungendam curaret ui, precibusue. pater, unici filij lacrymis expugnatus, ſimul ut duo finitima imperia conſenſu, & mutua caritate coaleſcerent, ampliſsimam ad Dionotũ

regem

regem legationem deſtinat, tranſmiſsis muneribus: eſſe ſibi filium florentiſsima aetate, ualido corpore, animo egregio, exercitum armis, & manu pugnacem, Vrſulae exardeſcentem amore: caelitus id afflatum, quo amborum ditio tantis pignoribus aeterna in faedera deducatur: duorum nobiliſsimorum iungenda iuuenum corpora ad ſobolem propagandam, nullum apud ſe dubitandi locum de repulſa relinqui. quod ſi abnueret, eſſe ſibi animos, & uires, affuturum ardorem, & fortunam comitem praeſtantiae, audaciaeque, uiuidum ingenium, & in arma pronum, uel terribile ſtrage finitimorum, haud inerti emarciturum otio: ſibi iucundum Martem, amaram pacem praedicare. Quae relata ſeni ingentem incuſſere metum, angoremque, uiduato ſuo toro, puellam, ſenectae ſolatium abſtrahi longinquam, hoſtilemque ad gentem, efferam moribus, & funeſtis dijs addictam: exſecrabile praeterea, prorſusque nefarium eſſe, a Chriſti complexu filiam auellere inſeruituram trucis, impurique iuuenis cupiditati, & exſaturaturam libidines: prius mori ſatius, ac melius fore, quam tam deteſtanda intueri: uerſare ſimul diuerſas ad clades animum, atque infortunia, pagorum excidia, oppugnationes urbium, ſonitum tubarum, eiulatum puerorum, & Virginum lamentationes, ſtupra, caedes, & funeſta bellorum: non ſe tantis uallatum opibus, eoque aetatis robore, ut ferociſsimi hoſtis arma, & libidinem reprimat: praealtum deinde animum ubi ſemel amor quaſſarit, facesque inuexerit, haud repulſa obtundi, ſed acrius accendi, dicebat: rurſus, inde decurrente in praecordia ſanguine, irarum motu inflammari, fremere, & martem reſpicere: iuſtiſsimae cauſſae haud abfuturos ſuperos: ſaepe id monſtratum, nec eluſam piorum ſpem fuiſſe: parua manu ingentes ſaepe copias fuſas, proſtratasque, multis auras, & fulmina militaſſe, ignem, & Solem ſtetiſſe pro pietate: multa

Dei

Dei legi, memorarique apud Hebraeos beneficia: non minora apud Chriſtianos, eadem ſibi proponere: tutaturum non incurioſe thalami decus, & ceſti claritudinem CHRISTVM praeter aras, templa, & ſacra haud deſperabat, ſed rurſus hebeſcere ardor natae, patriaeque caritate, frangi ſpes maeſtis amicis, & ſagum exhorrentibus, non dimitti oratores, non certum dari reſponſum, non apparari bellum, communirique arces, aut firmari urbes, ſi hoſtis ferro expoſcendam coniugem duxiſſet exercitibus contractis, traductiſque in hoſtile ſolum. Sed ingens in aula ſilentium, & metus, ac prope deſperatio. rex in maerorem effuſus non mediocriter angi, affligique. Qua re animaduerſa, puella, ut erat ſagaciſſima in coniectura, & ingenio praeſtantiſſima, acerbo confoſſa dolore, his machinis oppugnari ſentiens caſtitatem, & cacodaemonum artem in ſe aſſurgentẽ ad pia diſturbanda decreta, ſimulq. diſcrimen, excidiumque penatium intentari intelligens, uerſa ad preces, & uota, fatigare Deum, miſericordiam, & opem implorare, afflictato inedia corpore, & uilibus circumuoluto ueſtibus, inter multam uigiliam, & lacrymam. his quippe armis haud inſcia ſaepe extortum Deo fulmen, retuſamque ultricem haſtam, quae ad pianda ſcelera mortalium torquebatur, humi cubans, non incertum a Deo Saluatore auxilium praeſtolari. itaque in tam longis, continuatiſq. uigiliis, ſopore occupata, aperiunte Deo, omnẽ ſuae uitae curſum, & periodum praenoſcit. ad auroram excita, ore hilari, in cubiculum intrat ad patrem, iubet bono animo eſſe, a maeſtitia reuocat, caſtigat imbecillitatem pectoris, excitat ad ſublimia: uiſum illi enarrat: quid reſpondendum ſit legatis, edocet. Qua confirmatus oratione genitor, poſt lacrymas nimio gaudio excitas, gratiarumque actiones, ſecum Virginem ducens ſplendiſſime ueſtitam, adſtantibus circa lectiſſimis procerum, iuuenumque corpo-

corporibus,ſe oratoribus exhibuit: quos in hanc ſententiam, annuente patre, eſt puella affata: Maximum,& immortale beneficium hodierna die,clariſſimi oratores, familiam noſtram conſecutam, mihi uero nihil gratius ad auram popularem, nihil optatius ad dignitatem facum, & gloriae, nihil carius ad ambiundum nobiliſſimi iuuenis connubium contigiſſe intelligo; equidem optaram id potius a Deo Opt.Max.quam ſperaram: ea noſtrarum eſt tenuitas opum,ea Anglorum regis parta bellis gloria,famaque nominis. Sed poſtquam uota mea Deus benignitate ſua fortunauit non poſſum mihi, ipſi, patri, regno, generi, focis, atque aris non quam effuſiſſime gratulari: omnia iam felicia caelo portendi, caeleſtesque ipſos in noſtrum tranſiſſe decus intelligo: uerum ſi quid libere a uiro ſponſae, ſi quid nurui modeſte a ſocero petendum ſit, ſi detur puellae adhuc obtectae flammeo copia loquendi, tria mihi in uotis eſſe non ibo infitias: quorum, ut ſpero, cōpos facta, (nec dubitationi relinquitur apud me locus, honeſtiſſimis petitis, atque iuſtiſſimis) ſuis me iuſſis ſubſtratam, ancillam, & comitem ſemper habebit, ſtabitq. aeterna inter nos pax ſtabilimen familiae,ac matrimonij. Primum ut Hereus ſponſus meus abiecto inaniū deorum cultu, ſeſe ad Chriſtiana conferat ſacra; deinde decem ad me uirgines eximia nobilitate, ac ſpecie, caſtiſſimisq. moribus tranſmittat unicuique mille aliis adiunctis, totidemque mihi aſſociatis; poſtremo ut triennale ad ſoluendam ceſtum, celebrandaque Virginalia ſpatium largiatur. quibus peractis, expletisque, feliciſſimas nuptias, Deo bene iuuante,auſpicabimur cum haud incerta ſpe prolis, qua utriuſque dignitas, & laetitia imperij multa in ſecula nō interrupta ſerie propagetur. Habetis a me ſententiam: audiſtis & uota: ſi ſponſus amat, non reiiciet: ut magnanimus amplexabitur. His dictis poſt lautiſſimas epulas dimiſſi legati, Regali munificen-

tia a puella, Regeque honeſtati, ad Hereum reuertuntur: omnia in maius de Virginis pulchritudine, prudentiaque attollentes. ingeminatus ſponſo ardor, additae faces. rite namque expiatus dat operam, ut eadem pater ſacra amplectatur incenſis delubris, comminutis, diſſipatisque deorum ſimulacris, lucis ſuccifis, ſublatis ſacrificiis, acceptisq. condicionibus percupide in rem incumbit, uno transfodi ictu, nec placide uexari temporis moram reſpiciens. exſpectatione amanti nihil durius; ergo cõquiſitae ex tota inſula uirgines, & a proximis Galliae, Germaniaeq. litoribus accitae, conceſſo muliebri mundo, ad Vrſulam tranſportatae; ipſa paterna in ditione habito delectu haud paruam, & iguobilem manum alienigenis adiecit. fama poſt Vrſulam clariores, Pinnoſa, Harbilia, Iuliana, Victoria, Aurea, Vldilia, & Palladia. hae praepoſitae principiis, communicatis muneribus, ubi conuenere ex uariis gentibus miſtae Anglae, Morinae, Saxones, Batauae, Sicambrae, Phryſiae, Venetae, Britannaeque, nondum omnes Chriſtianis ſacris addictae, patentiſſimum, & conſperſum floribus in campum per claſſicum coactas, excluſo uiro, Vrſula, aurea corona praefulgens, multaque radiante gemma preſſo crine, purpura ueſtita auro intertexta, armillata in concionem adſcendens, indicto ſilentio, (cum occurſantes inter ſe oculi, mutuusque conſpectus ingentem admirationem, laetitiam, & uoluptatem conciuiſſent) benigne, grauiterque alloquitur: enudatis deorum fabulis, & erroribus, docet Chriſti doctrinam, nutantes in religionem impellit, quatit obſtinatas, labantes, ac concidentes erigit, ſumma praemia, & perennia proponit, tota laterum firmitate in id incumbit, ut Chriſto ſe uouerent, uitam breuem multis periculis obnoxiam, animorum cruciatus aeternos, & gloriam, nec torum expertem doloris, ac miſeriarum, imperia uirorum ſaepe iniuſta, uio-

lenta.

lenta, immitia, ſuſpicioſa breuiſſimam uoluptatem obſcenos intra motus, amplexuſque aſſiduis moleſtiis excipientibus.ad haec tumentes fetu uteros, & exinde crebras mortes, & funera, ſoboliſque pariundae, & educandae labores, uigilias, timores, cuncta praeterea grauia, noxia,& intoleranda: at,ſi Chriſto ſponſo adhaererent, nullum uidualis tori metum, non exſtinctarum facum luctum,non gemitum, aut pueriles uagitus, non improſpera, aut ludibria fortunae, non canum crinem, & obſeſſa rugis ora, non excuſſum dentem, & funeſta ſenectutis, ſed omnia plena gaudij, omnia referta uoluptatibus, cumulatas ueneres, & decora, affatim annorum, & gloriae affutura diſſerere. Qua cohortatione inflammatae omnes, ruere in baptiſma, concelebrare Chriſtum, imperatricem ſuam miris laudibus attollere, addictae omnes ſacramento, iurauere, alium praeter Chriſtum ſponſum nõ amplexaturas conſecrata illi uirginate. laudatae ab Vrſula,& centuriatae omnes,mox luſtratae. lectiſſima phalanx, iamque pietate, pulchritudine, dignitateque nationum uictrix, nihil toto in orbe terrarum uenuſtius, nihil ornatius, nihilque praeclarius, uaria ueſtimentorum genera, ordo, diſciplina, opes, fulgor gemmarum, ac lapidum intuentibus admirationem adaugebant. ipſa imperatrix, ſicut fortuna eminentior, ita dignatione corporis, morumque auguſtior rapuerat in ſe omnium oculos. concurſum ad compita, & itinera ab accolis, regulis, ac principibus. ſtupor ingens ſpectantium in animis obortus, nemini in tanta pulchritudine, tantoque in agmine puellarum mota uenere, cunctorum ſtrictis religione pectoribus, multae uirgines aemulatione incitatae, relictis aris, focisque ſacrae militiae nomina dedere. a Praeſulibus, Epiſcopis, & ſacerdotibus concurſum in ea caſtra, quae ſanctimoniae dumtaxat,caſtitatique patebant. Vrſula, circuitis inſulae locis, ad ulteriora animum exten-

dens, Romam, ac Hieroſolymam uoluere, ut ſolũ, terraſque Chriſti calcata ueſtigiis lamberet; oſcularcturq. catenas, equuleos, & ſaxa martyrum infecta cruore, & celebrata omnium gentium ore Apoſtolorum templa, araſq. perpetuas. itaque Praetorium aduocat, ſuũ deſiderium exponit, expoſtulat ceterarum ſententiam. reſponſum ab uniuerſis, acclamatumque, duceret, quo uellet: ſe libentiſſime imperata facturas: ſic iuraſſe, & impleturas. Hoc ſtatuto ſponſum accerſiri placuit ad regiam: quem ſtatim ad nutum coniugis aduolantem perbenigne amplexa imperatrix itineris rationem, & cupiditatem exponit: hortatur, ut in Regno ipſe permaneat ad incerta caſuũ, procul a periculis, ad generi, patriſq. ſuſtentandam ſenectã, in tam longinqua ſua peregrinatione. omnia ſe facturum Hereus ſpopondit. mox imperatrix, conſalutatis amicis, & affinibus, inter ſuorum lacrymas, oſcula, amplexuſque, ad mare deducitur, explicatoque ad auras in praetoria profectionis ſigno, data teſſera, itum in aduerſa Germanorum litora, excubias per uices capeſſentibus cohortibus, & mutua ſe aemulatione ad uirtutem accendentibus. Imperatrix omnia ipſa oculis perluſtrare. inflammatas intempeſtina cupidine retundere, languentes excitare, omnia prius ipſa pati, quam iubere multum Semiramide, Camilla, Zenobya, Victoriaque matre caſtrorum, & prudentia, & magnitudine animi nobilior. coetus hic ſanctus, cunctis uerendus, immenſa ſibi caritate cohaerens, uoces caſtiſſimae, cantus ſacrati, caſta pectora, puriſſimae manus, religioſiſſima uota, ueri Dei cognitio, & arcana, contra harum (quas memorauimus) caſtra plena odiis, iriſque, referta ſeditioſis, trucibuſq; ac praedarum appetentiſſimis ſaepe cruentis ſignis, funeſtatiſque praetoriis ſanguine ducum, aut caedibus commilitonum, ne deorum quidem (quos colebãt) ornamentis, ſacrarijſque parcentibus, ſi conſideraueris harum

finem, triſtem, & dirum cum ludibrio fortunae deprehendas nec laudato propoſito, extenſis ad aliena rapiunda animis, aut dominandi ſiti, caloreq. areſcentibus. Igitur, ad Thielam in Germaniam delato uirginali exercitu, moti accolae deſertis urbibus ruere, & ſe obuiam effundere ueniētibus, ſtrata floribus uia, & expoſitis commeatibus, quacumque ſacrum incedebat agmen, nouis uirginum ſupplementis caſtra repleri. hinc aduerſo Rheno ad Rauracos Baſileam celebrem, opulentamque urbem acceſſere. benigne ibi militia accepta refectis corporibus: mox, praemiſſis, qui explorarent, purgarentque itinera, ſublatis ſignis, per Heluetiorum, Raetorumque terras, deſcenſum in Italiam: omnia loca ueneratione auguſta pie luſtrata gaudentibus Italis, & ipſis ciuitatibus ad ſpectaculum concurrentibus, depulſis ex animo ira, atque maerore ex eo iucundiſsimo adſpectu, fugataque penitus funeſtorum ignium, Gothicarumq. populationum memoria, queis a fato magni Theodoſij Italia quaſſata fuerat non ſine barbarorum riſu in Capitolij arce, & culmine, Gothico expanſo uexillo, non iam fabuloſo regnante Ioue. at uirgineae legiones acto ueluti triumpho ouantes Romana maenia ingrediuntur, aggerata omnium laetitia, ſine inuidia ueterum triumphorum, in ſumma felicitate imperij, nunc Aſia, aut Africa, Europaue ſubmiſſe Capitolio ſupplicantibus, ipſo Valentiniano Caeſare ſuſpecta Honoriae ſororis caſtitate in tanto ſpectaculo propitium ſibi Deum, caeleſteſque fauores largiter noſcente. Vrſula his diebus ſupra Auguſtarum thyaras, & faſtigium celebrata: duae illi pares in orbe terrarū uiſae, Aelia Pulcheria Arcadij filia, & Eudoxia Leontis Athenienſis philoſophi filia, iunioris uxor Theodoſij. altera uirginitate, & caſtimonia, artibusque regnantis, & pietate nobiliſsima. altera diſciplinarum excellentia inſignis, aemula Homeri, & Virgilij, Platoni non

cedens.

agmina praeter Hunnos gentilem militem, Quadorum, Sarmatarum, Carporum, Rugorum, Gelonũ, Turcilingorum, Bructerorumq. in Italiã feſtinabat haud deterritus Rhadagayſi interitu miſerãdo, & Alarici felicitate ultro illectus, nõdum tamen Honoriae litteris, ac pollicitationibus ad eũ allatis, quae uirgo arcta cuſtodia uallata in atrociſſimi hominis taedas impotentiſſime exarſerat, ipſumq. iam diu orbis terrarum imperio inhiantẽ in funera gentilis terrae, auguſtiſſimaeq. urbis exciuerat, quo non obtẽto uirginalem florem Eugenio procuratori ſuo, faede, & contra auitum pudorem, decusq. maieſtatis decerpendum tradiderat, impletaq. fetu Conſtantinopolim amandata a fratre. Verum ea lues Hunnorum incomperta ueterum litteris trans Meotidem Aſiaticã incolens Scythiam, atrocitate morũ effera, nullius humanitatis, effrenatae ueneris, auri, praedeq. auidiſſima, enormitate corporum, parteq. oris aduſta ferro, aut uulnere deformata, horribilis, proruptis ueluti naturae repagulis, domitis Alanis, Grutungis, Gothisque, & Taifalis ſuis eiectis ſedibus, fugatisque, rapidiſſimi inſtar amnis, per populorum ruinas, ſtragesq. ſe in Romanas prouincias effuderat, ambobus Auguſtis terror ingens. tuncq. reſpirante a cladibus ſuis Oriente, in Occidentẽ armorum fulmen contorſerat, Coloniamq. primos eius impetus refrenantem ciuitatem memorẽ Italicae originis, conditorisq. gloriae, arctiſſima premebat obſidione, hac enim exciſa urbe, reuulſis ueluti Galliae, Italiaeq. foribus, facilem ſibi aditũ in Capitolium ſpe & cupidine iam uoratum exiſtimare. iamq. Valentinianus inita cum Gothis ſocietate, coactisque legionibus, Aetium uel Hunnicis armis exercitum in Galliam praemiſerat, ſumma illi rerũ demandata aduerſus barbarum nimiũ ſucceſſu rerum felicium tumentem, illuſa Romani nominis maieſtate, illacrymantibus maiorum animis nec ignaue dolentibus, poſteritatem ſuam in

Aſſyrica gynecaea, mollitiemq. Graecorum tranſiſſe, laboribus ſuis, atque ſudoribus ad ſidera elatam, egereque externa ope non ad propagandum imperium, ſed ad ſalutem tuendam, propulſandumq. ſeruitium. At barbarus, ſtantem ciuitatem, & Aquilonem ſuis excitū ſedibus morantem, indignatus, fit certior de uirginali exercitu, laetatur, tripudiat, ſperat innocentium ſaltem cruore explere inſitam crudelitatem poſſe, aut certe mitigare. id immaniſſimo mortalium optatum, nec raro monſtratum uaſtatione prouinciarum, excidiiſque populorum, uel adſcitis nominibus, cum ſe Dei flagellum, terroremq. hominum iactaret, immiſſum plectenda ad piacula mortalium, expetendaſque diras. per exploratores omnia diligenter cognoſcit: exercitum omnem iubet in armis eſſe, hippotoxata praecipue delecto, mortifero uel ſtantibus, uel fugientibus: omnes arma capiunt, intenti ſignum exſpectant, anhelant caedes, & ſanguinem, & ueluti cum Romanis pugnaturi non incurioſe haſtas & ſcuta quatere, arma inſpicere, & mucronem acuere. at Virgines, nullo iacto uallo, aut conſtituta ſtatione, diſpoſitiſue praeſidiis, ſolutae metu in Deo tantum mentibus, animiſque defixis, per campos diſcurrere, captare auras, piiſque cantilenis, plauſuque Chriſti praeconia canere. pars ſopita ſomno, pars ſermones inter ſe ſerere: aliae in contemplationem caeleſtium effuſae, ipſa inter primas, mire laeta imperatrice certum martyrij, ac uictoriae locum praenoſcente, uiſique memore, quod eundem ad locum uadens in Italiam per ſoporem uiderat: Ceterum barbari XII. Kalen. Nouembris ab Attila accepto ſigno, uirgineis caſtris appropinquantes, magno camporum ſpatio occupato, (ne fuga euaderent) obſeſſa etiam fluminis ripa, uaſtis clamoribus circumfudere ſe uirginibus, uibratiſque telis ſtrauere obuias. illae in re ſubita non frontem anteſignanis, principibuſque, non

latera haſtatis, nõ terga triariis munientibus, haud quaquam conſternatae, inuicta pectora trahere in pugnam, caedi obiicere, nullum timoris ſignum edere: quem uiua quaeque ceperat locum, cadens obtexit. imperatrix in primo agmine uerſari uultu ſereno, & ueluti inter choreas, & cantilenas, hortari, confirmare, omnibus adeſſe, ſibi non parcere aduerſis maior: omnia ſtatim caedibus foedata, aut maculata cruore. euerſus momento temporis, conciſusq. florentiſſimus ille exercitus: traiecta ferro pectora, ſparſa uiſcera, ſuffoſſa ilia, diſciſſi uteri, truncata brachia, terga lacerata, ceruices, & ora faede diſſipata, acciſo pulchritudinis flore, cumulataque ſtrage in unum aceruum cadentibus bellatricibus, uel ipſo occaſu barbarorum animis, irisque ſuperatis. ab imperatrice retenti arcus, ipſis iam haſtis cruore exſaturatis, & compreſſo furore. nimia pulchritudo, atque uenuſtas uel in dirisſimo Martis diſcrimine, atque ſpectaculo barbarorum ferociam repreſſerant. ducta inde ad Regem illius famae, & gloriae non ignarum, adhuc cruorem, rabiemque ſpirantem primo ſtrauit obtutu nihil territa, & barbaro facile ad uenerem ingenium erat, accenſa cupidine per p lurium complexus uxorum decurrente, nec immerito belluinis moribus, atque efferae animae parem corporis habitum natura affixerat. uidere namque erat in monſtro humilem ſtaturam, propanſum pectus, informe caput, paruos oculos, ſimum naſum, taetrum oris colorem, abraſam barbam, uerticemque canis adſperſum, ad haec elatum inceſſum, trucem uocem, iactationemq. huc illuc membrorũ quaſi fanaticam. igitur Attila Virginem nullo fractam infortunio miratus, his uocibus attentat: etſi paucorum facinore, & rabie, una hora nobilisſimo comitatu, cariſsimisque pignoribus orbata, in hanc calamitatem recidiſſe uideris, ut flenda diu ſit tibi; tamen ſi haec ſapientiae deorum, fatiſque adſcripſeris,

nec te infelicem, aut miſeram dixeris, id nactura in tanto armorum fragore, & ſtrage, quod aliae, te nobilitate multo praeſtantiores, nec ſpecie inferiores diu uotis cócupiere puellae. itaque pepercit tibi fortuna, & Mars, inter creberrimum ſagittarum imbrem, uibratasque haſtas, & nos quoque te ornatiſsimam, ac florentem uolumus, ſi nos maritos, & principes non dedignaberis. ipſa nuptiarum nox rutilantibus Capitolij, Italiaeq. flammis ſplendeſcet, & Regia iſta ceruix Auguſto diademate effulſerit. hoc inter rara felicitatis ponendum, Attilam terrorem orbis, domitorem Germaniae, ſtratoremque Auguſtae maieſtatis a nutu pēdere tuo. id ſibi dij depoſcunt, haec aceruata ſociorum ſtrages ſuadet. quamobrem, nobiliſsima puella, ne patiare tantam pulchritudinem, oculorumque lucem ſubita animi obſtinatione exſtingui: nobiſcum iam laeta regna; quidquid enim infauſtae lucis pugna, & furor armorum abſtulere, uniuerſa ſupplebit Europa: nec ipſi minorem in thalamo felicitatem ſperamus, quam inter uictrices equitum turmas, concuſſoſque fragore umbones, in concidentium murorū ruinis, concuſſique pauore mundi. ſatis ſuperque fortuna adhuc eſt elargita, largituraq. uel inuitis ſe nobis profitetur. At Vrſula uix dicendi finem praeſtolata, ore interrito, Audes ne (inquit) diriſſima bellua talia mihi dicta ingerere, aut has (quo minus caeleſti ſponſo potiamur) obiectare moras? cur me a ſociarum uirtute degeneraturam putaſti? occubuere aduerſis uulneribus electiſſimae turmae, & iam laureatae caeli ſecreta ſcandūt: & ipſa regina, tanti modo imperatrix exercitus ad unius ſcythicae ferae mugitum e caenoſis paludibus emergentis obtorpeſcam? ſic uictrix inter crudelitatem, & diras, totque funera captiua nunc barbarae libidini, deuota Chriſto, pectus, corpusque ſubijciam? ſic blandimento uerborum, atque promiſſis atrocioribus ad ſternen-

dam

dam uirginum pudicitiam, cacodaemonum armis attentor? utere, mortalium crudeliſſime, fortuna tua: non manus, quibus circumdaris, non arma extimeſco: nec oſtentatam felicitatem, & diuitias magni facio: multa maiora, certioraque ab interitu aſſequar. cur cunctaris? Chriſti miles nec labefactatur auro, nec ferro uincitur. Ad hanc uocem minaciſſime infremens barbarus, iactansque membra, in Virginem tetendit arcum, &, quo certius periret, aduerſum pectus ferit. Tergemino iaculo alte infixo pectori, diſciſsis fibris, bellatrix moribunda prolabitur, magnanima morte religionē, caſtitatemque teſtata, nulli uirginum uel Romanarum, externarumque gloria, ſanctitateque concedens, coactis tot millibus puellarum omnibus ſuperior. Poſtero die barbarus, lectis ſtratarum ſpolijs, Cordulam, (quae primo barbarorum occurſu, uicta metu, detrectauerat pugnam, repertis latebris) pertaeſam ſocordiae, atque ignauiae animoſe prodeuntem in aciem, in aceruis ſociarum mactauit, ueritusque ne odor cadauerum aera inficeret, congeſta in unum corpora terra obrui iuſsit. ſacratum hinc poſtea ſolum illud, & ueneratione cultum, nobilitatumque miraculis. ſed barbarum ultrices dirae ad Catalaunicos campos, uerſis Romano tergis, magnaque exercitus manu amiſſa, proſecutae, demum euocatum ex Italia inter infames amplexus, libidinem, & uina faediſsime perdidere, amatorem bellorum, ſed manu inglorium, addictum augurijs, nullique deorum obſtrictum, haudquaquam illo fatali Martis gladio, quo tantopere gloriabatur, extremam neceſsitatem abſcindentem. Haec plerique ſcriptores, famaque iactantior. At apud Gaufridum Aſaphenſem Epiſcopum abhorrentia a ſuperiori narratione legimus; memorat namque Flauium Maximum aduerſus Gratianum Auguſtum arripientem tyrannidem in Britannia, Auguſti nomine uſurpato, inſi-

gni audacia uirum,pugnacissimumque traieciſſe in Galliam ad opprimendum Gratianum ſuperiorum Auguſtorum, uel animi magnitudine, uel pietate, uel moderatione iuuentae clariſſimum, Armoricosque illato terrore ſedibus eieciſſe pro Gratiano pertinaciter ſtātes, duabus Britannicis legionibus tranſductis ad incolendum opimum, & alēdis exercitibus peropportunum ſolum munimentum Britanniae aduerſus Gallos, ſi quid infeſti a Gratiano ingrueret haud molliter ſago deſumpto aduerſus uſurpatorem imperij, incitataq. in arma gente Hunnorum, placuitque Britanniam minorem dici in ſolatiū, honoremque Britannorum, ſibi ſtudioſe fauentiū,ementito originem praelata Helenae, Conſtantinique cognatione, & quia femina ad ſobolem propagandam deerat, accerſuntur e Connani conſilio in Maximi caſtris militantis praeclaro nomine uiri, interque Britannos nobiliſſimi, ex Britannia pari numero Virgines ad cōiugium. Vrſula Dionoci Cornubiae regis filia, in ſumma exiſtimatione erat, eminebatque cum ſplendore natalium, tum excellentiſſima ſpecie. haec Connano deſponſa, acre feroci iuueni incitamētum ad partes Maximi iuuandas; lecta XI CIƆ Virginum manus Londini nauibus imponitur, ſua ſidera, ac patria tecta, ſuosq. non amplius uiſura. itur in Armoricos, ſed coorta procella Thielam in Germanica littora impelluntur, Rhenoque exceptae, Coloniam deuehuntur. aderant in praeſidio Melga Pictorum,& Gaunus Hunnorum duces piraticam exercentes, a Gratiano aduerſus Maximum acciti, diffiſo militi ſuo rebellionis tabe infecto; feruebatq. motu armorum prouincia,ipſaque urbs,propugnaculum aduerſus Tranſrhenanos, magnis infeſſa praeſidiis, inhorruerat ad Maximi nomen facinoroſe rebellātis a Principe, cum ſe diu tecta imperij cupiditate tumultuantibus legionibus dediſſet, Gratianum exſecrātibus, barbarico interdum habitu

bitu incedentem, barbarorumq. aſſuetudine deuinctum, quaſi patriae ueſtis, & Romani eloquij uſum dedignantem. igitur tantam cōſpicati faeminarum multitudinem praeſidiarij ad amnem decurrunt; &, ubi animaduertūt Britannas eſſe, rati hoſtium coniuges, filias, ſororesque, illico in uenerem igneſcunt, ingerunt preces depoſito ferro, blandiuntur ab inermibus uicti. Sed Virgines, Vrſula cohortante, & ferociter ciente pro uirginitate certamen, abominatae preces, atque flagitium irritauerunt in ſe barbarorum iras, rabiemque. itaque ab Hunnis, Pictisque circumfuſae, uniuerſae internecione delentur, ipſa inter primas cadente imperatrice.

LAVS DEO.

REGESTVM

* ** ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp.

Omnia ſunt integra folia.

ROMAE

Apud Gulielmum Facciottum.

MDXCVII.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 11. lin. 8. intentam. corrige intenta.
Pag. 14. lin. 25. mauis. corr. maius.
Pag. 27. lin. 13. Saburra, corr. Suburra.
Pag. 50. lin. 28. laucius. corr. ſaucius.
Pag. 78. lin. 1. glorioſi, corr. glorioſe.
Pag. 89. lin. 11. origine, corr. Origene.
Pag. 92. lin. 26. reluctaturam, corr. reluctatura eſſet.
Pag. 102. lin. 25. diuiduo, corr. diuino.
Pag. 110. lin. 2. hyathini, corr. Praſini.
Pag. 114. lin. 7. adde, alij ferunt quinque.
Pag. 121. lin. 10. corpori, corr. corpore.
Pag. 127. lin. 20. exſtractus. corr. exſtructas.
Pag. 130. lin 6. immitti. corr. immiti.
Pag. 133. lin. 6. Perſorum, corr. Perſarum. &
lin. 12. concertationes, corr. conuerſiones.
Pag. 135. lin. 4. halita, corr. habita, &
lin. 15. inuidia, corr. inuida.
Pag. 136. lin. 9. Sabaſteno, corr. Sebaſteno.
Pag. 150. lin. 10. Fetiales, corr. Feciales.
Pag. 165. lin. 24. falſa, corr. falſa.
Pag. 168. lin. 29. arenis, corr. arenis
Pag. 181. lin. penult. fortaſs. corr. fortaſſe
Pag. 192. lin. 13. ſorore, corr. filia, &
lin. 15. poſt. verb. profeſſa) adde, obieciſſet.
Pag. 198. lin. 25. ſubaceo, corr. ſubacto.
Pag. 201. lin. antepenult. omnia, corr. omina.
Pag. 206. lin. 15. molitiem, corr. mollitiem.
Pag. 210. lin. 7. ſcelum, corr. ſcelus.
Pag. 235. lin. 12. Cyrenæas, corr. Cyrenas.
Pag. 247. lin. 6. nnius, corr. unius.
Pag. 256. lin. 4. dedignantur, corr. dignantur.
Pag. 258. lin. 31. hac, corr. hæc.
lin. 33. factum, corr. fatum
Pag. 259. lin. 11. ipſæ, corr. ipſe.
Pag. 269. lin. 4. Perſopolis, corr. Perſepolis.
Pag. 271. lin. 27. Neocropolim, corr. Necropolim.
Pag. 272. lin. 28. Neocropolim, corr. Necropolim.
Pag. 279. lin. 16. viij. corr. vij.
Pag. 282. lin. 5. Perſopolis, corr. Perſepolis.
Pag. 286. lin. 28. Nereus, corr. Hereus.
Pag. 296. lin. 5. Cinitatem, corr. Ciuitatem.

INDEX.

A

ACILIVS Glabrio, Eugeniam ſponſam expetit. 122.
Aecatharina. 232.
Aedeſius, Margaritae pater. 157.
Aelia Pulcheria Auguſta, Arcadij, Eudoxiaeq. filia. 213. 293.

Agatha.
- Catanae nata, nobili ſtirpe.
- Aphrodiſiae, celeberrimo Scorto, a Quinctiano, Siciliae praeſide, tradita, ut eam ad ſuam uoluntatem traheret. 113.
- fruſtra ab ea tentatur. 116.
- perſiſtit intrepide. 117.
- carceri mancipata. 118.
- ei mammillae abſcindi iubentur. 119.
- Petrus Apoſtolus ei uiſus. 120.
- in ardentem rogum iniici iubetur. 123.
- terraemotus a Deo miſſus multos oppreſſit. 124.
- in carcere obijt. 125.
- eius ſepulcrum, & laus. 218.

Agnes.
- Romae naſcitur. 191.
- Symphronij, praefecti Vrbis, filium, eam in uxorem poſcentem, ſpreuit. 193.
- Conſtans in fide Chriſtiana. 201.
- exſui ueſtibus, & ita nuda duci in lupanar iuſſa. 202. 203.
- Candida ueſte ab Angelo circundata. 205.
- praefecti filius exanimis concidit, cum eam amplexari uellet. 206.
- eius precibus reſtituta ſalus praefecti filio. 209.
- capite plectitur. 212.

Alexandra, Catharinae mater. 232.
Alexandri Farneſii Card. pietas, ac magnificentia. 58.
Ambitionis deteſtatio. 187. 188.
Antiochia, Margaritae patria. 157.

Apollonius Tyanaeus, ſceleratiſſimus homo. 27.
Archillaeus, & Nereus, Comites dati Domitillae. 26.
Archimedes Syracuſanus. 217.
Arthemia, Atticaque, Chriſtianae. 213.
Aſpaſius, Symphronij praefecti Vrbis, uicarius. 211.
Attica, Arthemiaque, Chriſtianae factae. 213.
Attilae deteſtatio. 294.
Auguſtini Cuſani Card. pietas. 56.
Aurelianus Imperator. 159.
Aurelianus, a Domitiano Domitillae in ſponſum traditur. 28. *moritur.* 55.
Aurelius Alexander, Imp. optimus. 76.

B

Balneae, in Hiſpania prohibitae. 93.

Barbara.
- *Nicomediae nata.* 87.
- *Dioſcori filia.* 87.
- *a Sacerdotibus Chriſtiana fide imbuta, Chriſto animum, caſtitatemq. uouet.* 89.
- *tum a patre includitur.* 92.
- *baptizatur ab Origene.* 94.
- *a Marciano diriſſimis plagis excruciari imperatur.* 102.
- *Iulianam ſecum ad martyrium trahit.* 102. 103.
- *nuda per uulgus traduci iubetur.* 104.
- *ab Angelo ueſte praecandida obtecta.* 104.
- *ſecuri percutitur.* 106.
- *Venetias corpus tranſlatum.* 106.

Baſilla, Pompeo deſponſa. 148.
Boemundi laudes. 280.
Byzantium rebelle a Petri primatu. 227.

C

Caecilia.
- *Romana.* 61.
- *a teneris annis Chriſtianae pietati dedita.* 61.
- *Euangelium in pectore geſtabat.* 61.
- *nudum marmor illi pro ſtrato erat.* 62.
- *Valeriano deſponſata.* 62.
- *Corona ab Angelo donata.* 62.
- *Tiburtius, eius monitis, Chriſtianus fit.* 74. *accuſatus, ſecuri*

ſecuri percutitur. 80.
Tiburtij, Valeriani, & Maximi corpora ſepelit. 81.
eius facundia pluſquam CCCC. Chriſtiani facti, ab Vrbano baptizantur. 84.
capite truncatur. 84.
Caeſar Baronius, nobilis Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptor, a Clemente allectus in Card. Senatum. 57.
Caeſarea, Dorotheae patria. 177.
Catana, Siciliae Ciuitas, Agathae patria. 109.218.
Catharina.
maxima inter martyres, ac uirgines. 231
Alexandrina. 232,
Coſtio patre, Alexandra matre. 232.
Sabinella matre, quibuſdam. 232.
doctiſſima. 232. 233. *& dein.*
Maximino Caeſari Chriſtum colendum praedicat. 240.
Sapientes conuocati ad diſputandum. 243. *uſque ad* 257.
in pyram conіecti. 257.
nudata alligari equuleo iuſſa. 259.
ab Angelis curata, a columba alba cibus ei apportatus. 261.
Porphyrium, & Auguſtam affatur. 265.
rotis impoſita. 269.270.
eas Angelus confregit. 270.
collum detruncatur. 279.
corpus in Synam per auras ab Angelis deportatur. 279.
Chriſtianorum ignauia, & Turcarum ferocia. 281.
Ciceronis laus. 238.255.
Claudia, Eugeniae mater. 121.
Clemens IIX. inſtaurator ſacrarum aedium, & priſci moris, ac pietatis imitator. 57.
Conſtantia, Conſtantini Magni filia, Chriſtiana facta. 213.
Conſtantinopolis, rebellis a Petri primatu. 227.
Conſtantinus Magnus, & eius laus 213. *Conſtantij, & Helenae filius inuictiſſimus.* 267. *Imperium Byzantium tranſtulit.* 285.
Coſtius, Catharinae pater. 232.
Curſaſades, praepoſitus Alexandriae. 268.

D

Demas, & Hermogenes, Paulum una cum Thamyride perſequũtur 4.

Dionotus, Vrſulae pater. 286.
Dioſcorus, Barbarae pater. 87. *fulmine petitur ob impietatem.* 106.
Domitianus, Imp. malus. 26. *trucidatur.* 49.
Domitius Vlpianus, I. C., acerrimus Chriſtianorum hoſtis. 65. 76.
Doria, Vrſulae mater. 286.
Dorothea.
Caeſareae in Cappadocia naſcitur. 177.
adoleſcentula, Chriſtianam fidem amplexata eſt. 177.
nudari iuſſa, & in equuleum ſuſpendi. 179.
Deum trinum confeſſa eſt. 180.
pendenti ex equuleo uirgini ſubiectis latera facibus aduri iuſſa, ingentiq. ſaxorũ põdere membra affligi. 183.
ſecuri percutitur. 187.

E

Enoc Diuina praecepta columnis incidit. 253.
Eudoxia, Leontis, Athenienſis philoſophi, filia. 293.
Eugenia.
Romana. 121.
Philippo, & Claudia, parentibus. 121.
ab Acilio Glabrione in uxorem expetitur. 122.
Protus, & Hyacinthus, eius fratres. 123. *occidũtur.* 151.
in ſanandis morbis excellens. 139.
Philippus pater, cum familia, baptizatur. 144.
eius precibus terraemotus oritur. 152.
ſaxo collo alligato, in Tiberim illaeſa praecipitatur. 153.
in flammas iacitur, incombuſta. 153.
carcere includitur. 153.
moritur. 153.
Euſebius Caeſarienſis. 280.
Eutropius, Heleni Epiſcopi familiaris. 137.
Eutychia, Luciae mater. 217.

F

Fauſtina Auguſta. 262.
Flauia Domitilla.
pater Flauianus. 25.
Aureliano a Domitiano in ſponſam promiſſa. 28.
Nerei, & Archillaei hortatu nuptias recuſat. 37.
Caput uirginali uitta ornatum a B. Clemente. 38.
audacter confeſſ. fidem Chriſtianam corã Domitiano. 43.

Theo-

Theodoram, & Euphroſinam, earumq. ſponſos Sulpicium, & Seruilianum ad Chriſtianam pietatem traxit. 53.
Tarracinae in cubiculo cum ſocijs concremata. 56.
corpus ad S. Hadriani repertum. 56.
tranſlatum ad SS. Nerei, atque Archillaei. 57.

G

Gaufridus, Aſaphenſis Epiſcopus. 299.
Gothifredi Bolionij laudes. 280.
Graeci, mendaces. 165.

H

Heleni Epiſcopi laudes. 124.
Henricus Dandulus, Venetorum Imp. clariſs. 228.
Hereus, Vrſulae amore ardet. 236.
Hermogenes, & Demas, Paulũ una cum Thamyride perſequuntur 4.
Hieronymus Florauãtius Theologus inſignis, ex Societate Ieſu. 174.
Hyacinthus, & Protus, Eugeniae ſerui, & comites. 123. *occiduntur.* 151.

I

Iconium, in Lycaonia, Theclae patria. 1.
Iuliana ad martyrium a Barbara uocata. 103. *ſecuri percutitur.* 106.
Iulius Antonius Sanctorius, Card. 173.
Iuſtinianus, ex ſorore Iuſtini nepos. 279.

L

Leonis Magni laudes. 298.
Lucia.
Syracuſis naſcitur. 217.
Eutychia mater. 217.
adulta uirginitatem Chriſto ſeruauit. 177.
coram Paſchaſio praetore Chriſtum confeſſa. 220.
a lenonibus tentata, immobilis. 223.
circa eam accendi iuſſus ignis. 228.
ad caeleſtia proficiſcitur. 227.
corpus Conſtantinopolim translatum. 227.
Venetias deportatum. 228.
Luxurius, Aureliani frater, Domitillam cum alijs Tarracinae concremauit. 56.

M

Marcianus, Nicomediae Praeſes. 97.
Margarita.

Antiochiae naſcitur. 157.
Aedeſio patre. 157.
nutricis pietate, Chriſtiano charactere inſignitur. 157.
cum in Chriſtiano nomine confitendo perſiſteret, ab Olybrio praefecto uerberibus caedi iubetur. 168.
& in equuleo ſuſpendi, eiuſq. latera, ac pectus facibus diuexari. 170.
in aquae uas mergi. 170.
ſecuri percutitur. 174.
Matrimonia a Pompeio laudantur, contra Chriſtianos. 149.
Maxentij deteſtatio. 273.
Maximinus Imp. malus. 96. uxorem occidi iuſſit. 271.
Maximus, Praefecti cubicularius, baptizatur. 80. mortuus. 81.
Mediolani Theclae reliquiae aſſeruantur. 22.
Melanthia, ab Eugenia ſanata. 139.
Mercurij Triſmegiſti dictum. 253. 254.
Metenſes Luciam apud ſe eſſe affirmant. 229.
Miniſtri, Imperij inſtrumenta peſſima. 76.

N

Necropolis, Alexandriae locus. 271.
Nereus, & Archillaeus, comites dati Domitillae. 26.
Nicomedia, Barbarae patria. 87.
Nicopolis, XXX. ab Alexandria ſtadijs ſeiuncta. 267.

O

Olybrius, Piſidiae praeſes. 161.
Origenes Adamantius. 89.
Orpheus, de ternario numero. 248.

P

Pamphili martyris laus. 280.
Paſchales I. Pont. Max. Caeciliae corpus tranſtulit. 85.
Paſchaſius praetor. 220.
Paulus Apoſtolus Iconium deuenerit quando. 1. eiuſq. perſecutiones. Theclam baptizat. 5.
Petrus Apoſtolus Plautillam baptizat. 26. Agathae apparuit. 120.
Philippus, Eugeniae pater. 171.
Philippus Auſtrianus, Caroli V. F. Rex Hiſpaniarum, &c. Balnearum uſum prohibuit. 93.
Pij V. laudes. 229.
Plato, de tribus regibus. 248. *Moſes Atticus.* 255.

Plautilla,

INDEX.

Plautilla, a B. *Petro baptizata.* 26.
Porphyrius, *praeſ. praet.* 262.263.
Procopius Caeſarienſis. 280.
Prothus, & *Hyacinthus Eugeniae comites.* 125. *occiduntur.* 151.

Q

Quinctianus, *Siciliae praeſes.* 112.

R

Robertus Bellarminus, *doctiſſ. homo*, *ſcriptor memorabilis*, *ex Societate Ieſu.* 173.229.

S

Sabinella, *Catharinae mater*, *quibuſdam.* 237.
Sapricius, *Cappadociae praefectus.* 177.
Serapidis reſponſum. 255.
Simonidis de Deo reſponſum. 251.
Sixtus V. Sacellum ad Praeſepe erexit: & *eius laudes.* 213.
Symphronius, *Praeſ. urbis.* 192.
Syracuſae, *Luciae patria.* 217.

T

Ternarius numerus, *Diuinitati adſcriptus.* 248.
Thamyris, *ſponſus Theclae.* 1.
Thecla.
in muliebri ſexu, *martyrum princeps.* 1.
prima pro uirginitate decertauit. 123.
Iconij, *in Lycaonia*, *nata.* 1.
matre Tocchia. 1.
Thamyridi nupta. 1.
Pauli Apoſtoli concionibus mota, *nuptias ſpernit*, *matris*, & *ſponſi blanditias*, & *minas reijciens*, & *paruifaciens.* 2.
eum uidere cupit. 2.
ab eo baptizatur. 5.
a Praefecto ignibus tradi iuſſa. 6.
Angelum in Pauli ſpecie caelum petentem uidit. 7.
laetabunda, *ſponte ſe iecit in flammas*, *illaeſa.* 7.
Antiochiam Piſidiae contendit. 9.
ab Alexandro adamata. 9.
iubetur ſubijci beſtijs. 10.
iterum ſubijcitur beſtijs. 12.
a ſerpentibus illaeſa. 12.

a tauris

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

a tauris illaeſa. 17.
Iconium repetit. 18.
Seleuciam deuenit. 19.
nonagenaria obijt. 21.
reliquiae, Mediolani. 21.
Theophilus, declamator, Dorotheam inceſſit. 185.
Theothymus, nutricis Margaritae uir. 157.
Tiburtius, Valeriani frater. 67. Chriſtianam fidem recipit, & ab Vrbano baptizatur. 74. accuſatus, capitur. 77. ſecuri percutitur. 80.
Tocchia, Theclae mater. 1.
Triſmegiſti dictum. 253. 254.
Tryphenae, grauiſſimae feminae, Thecla in cuſtodiam tradita. 10.
Turcarum ferocia, & Chriſtianorum ignauia. 281.
Turcius Almachius, Praef. Vrb. 78.

V

Valerianus, Caeciliae ſponſus. 62. Chriſtianus fit, accuſatusque, capitur. 77. ſecuri percutitur. 79.
Venetiarum laus. 106.
Veneti Luciae corpus aſſeruant. 229.
Vrbanus Pontifex. 65. 84.
Vrſula.
in Britannia naſcitur. 285.
Dionote patre, Doria matre. 286.
adoleſcentula caſtitatem uouit. 286.
ab Herco in uxorem repetitur. 286.
iaculo in pectore infixo, moritur. 299.

Z

Zarea, magus.
Zeno Iſauricus, Imp. peſſimus. 21.

FINE